

**INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE**


---

**E L E M E N T A  
AD FONTIUM EDITIONES  
XXXIX**

**DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO  
AD POLONIAM SPECTANTIA  
IX PARS  
H B A, B 2, 1550-53**

**edidit**

**CAROLINA LANCKOROŃSKA**



**NON EXTINGUETUR**

**ROMAE 1976**

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE  
VIA DEGLI SCIPIONI 284 - ROMA

---

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA

(continuatio *Studia Teologica* — Wilno, vol. I-X):

- XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani*. Vaticani, 1943.
- XII — MEYSZTOWICZ V., *De archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur*. Vaticani, 1944.
- XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituant*. Romae, 1947.
- XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani*. (Ed. chirotypica, exhausta).

---

ANTEMURALE, I-XIX, Romae, 1954-1975

---

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

- Vol. I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae*. Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565) Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).
- Vol. II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424) 19 facs. Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Capituli Trident.).
- Vol. III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, I pars. Coll. W. WYHOWSKA-DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787) 29 tab. Ind. nom. propr. ind. chron. 1961.
- Vol. IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603) 9 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1961.
- Vol. V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana*. Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483 doc. (A.D. 1568-1682) 4 tab. 1962.
- Vol. VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc. (A.D. 1603-1629) 8 tab. Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1962.
- Vol. VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, II pars. Coll. W. WYHOWSKA-DE ANDREIS, pp. XIV+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676) 11 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1962.
- Vol. VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Si-mancas*, I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791) 7 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1963.
- Vol. IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*, I pars. Coll. L. KOCZY, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572) 8 tab. Ind. nom. propr. 1964.





**INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE**


---

**E L E M E N T A  
AD FONTIUM EDITIONES  
XXXIX**

**DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO  
AD POLONIAM SPECTANTIA  
IX PARS  
H B A, B 2, 1550-53**

**edidit**

**CAROLINA LANCKOROŃSKA**



**NON EXTINGUETUR**

**R O M A E      1 9 7 6**

SUMPTIBUS  
FUNDATIONIS  
LANCKOROŃSKI  
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:  
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE  
VIA DEGLI SCIPIONI, 284 - ROMA

## I N D E X    R E R U M

Introductio . . . . .	Pag.	VII
Textus . . . . .	»	3
Elenchus epistolarum . . . . .	»	205
Index personarum et locorum . . . . .	»	211
4 tabulae		



## INTRODUCTIO

*Volumen XXXIX seriei nostrae Elementorum ad Fontium Editiones, nonum vero seriei «Pruthenicae», id est documentorum in Archivo olim Regiomontano (nunc Gottingam translato) depositorum, continet scripta procerum Polonorum, annis 1550-53 ad Albertum in Prussia ducem data.*

*Hic quoque — ut in volumine praecedenti — tam epistolarum suarum numero (36), quam earum vastitate varietateque argumentorum in ipsis tractatorum, primum procul dubio obtinet locum Stanislaus Bojanowski, cuius personam modumque scribendi in Introductione eiusdem praecedentis voluminis fusius descripsimus. Hic forsitan hoc solum addendum esset, quod in scriptis hoc volumine comprehensis non parum loci, cum morbosa fere assiduitate, aegritudini et morti reginae Barbarae dedicaverit.*

*Secundo loco — quoad scriptorum quantitatem (31 epistolae) — ponendus est Ioannes Ocieski, Regni Poloniae primum vicecancellarius, deinde et cancellarius factus. Nemo aliis Regni cancellariorum — praeter Christophorum Szydłowiecki (cfr. volumina XXXIV et XXXV) — tam saepe tamque abunde ad ducem Albertum scribere solebat, nec eum tam prolixe accurateque de omnibus, non solum de eis, quae in Regno, sed saepe etiam de eis, quae in exteris gerebantur, certiore reddebat edocebatque. Res enim externae Ioanni Ocieski, post tot Romam, Constantinopolim, ad Carolum V peractas legationes, tanta in eiusmodi missionibus rerum hominumque sibi comparata experientia, non postrema denique praedito eruditione et prudentia, praecipue notae ac perspectae erant. Epistolis autem Ioannis Łaski, Londino ad ducem in Prussia missis, eaedem saepe res externae in diversa luce ponuntur diverseque illustrantur.*

*Hoc in volumine continentur ultimae epistolae Andreae a Górką, castellani Posnaniensis, fidelissimi ducis Alberti usque ad mortem amici, sub fine anni 1551 vita functi.*

*Aliter ac in voluminibus hucusque editis, hoc praesens volumen continet etiam, in annexis ad epistolas scriptis duci transmissas, relationes ex Comitiis Regni Poloniae Generalibus, anno 1550 Varsaviae celebratis, quas — licet nonnisi in longioribus fragmentis conservatae sint — propter singularem earum valorem (praesertim ad res Regni internas illustrandas) in extenso hic publicamus. In parte solummodo conservati sunt in Archivo articuli a nuntiis terrestribus regi porrecti, integra tamen habentur ad eosdem articulos, id est ad nobilitatis postulata vel querelas, nomine regis porrecta responsa. Haec documenta polonice scripta (partim tamen et latine reddita) in maximi momenti res Regni praesertim internas, sed et externas, lectorem introducunt. Quarum rerum permagna est varietas: tractatur enim et de finium defensione et de legationibus ad principes externos mittendis et de Magni Lithuaniae Ducatus cum Regno unione et aliis.*

*Inter res internas notare imprimis liceat quaestiones iurisdictionales, ex. gr. mandatum regis, ne in ius vocati ob iudicium negligentiam libertate*

*priventur. Non desunt et res sociales, ut ita dicamus, cum ex. gr. postulatur, ne singuli fabri et opifices a potentibus opificum collegiis nimis opprimantur.*

*Ex toto hoc volumine iterum clare sequitur, quomodo res omnes Reipublicae Utriusque Nationis duci Alberto vicinae semper fuerint quamque de eis accurate a collegis senatoribus et aliis edoctus esse cupiebat.*

*Iam restat, ut iterum — sicut hucusque fecimus — moderatoribus Archivi Regiomontani, Doctori Ioanni Koeppen, Directori, et Doctori Bernardo Jähnig, Assessori, pro eorum incessante hospitalitate et ad auxilium ferendum promptitudine hic etiam nostras maximas renovemus gratias.*

C.L.

**TEXTUS**



# 1550

N. 1216.

*Posnaniae, 5.I.1550.*

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de rerum statu in Polonia, i.a. de « tragoedia » inter castellatum et palatium Posnanienses acta, de regis possibili Posnaniam profectione,  
de aegritudine episcopi Cracoviensis etc.; item aliqua nova externa  
refert.*

*Sigill.*

(Annexa: I. legatio Andreae a Górką ad regem, II. ex sermone Samuellis Maciejowski, III. litterae regis ex 12.XI.1549, IV. litterae Martini Załoga ad S. Bojanowski, 19.XII.1549)

*H B A, B 2, K.379.*

Illustrissime Princeps.

Litteras Illustrissimae Dominacionis Vestrae, Puppae 27 Novembbris datas accepi, dum hic inter boves et oves meas agerem. Allata sunt eciam mihi ab Aula 22 epistole. Ex quibus tamen omnibus nihil novi scribere possum. Odia enim mutua et alia animorum venena et pestes si scribebem, nihil novi [scriberem]. Sed ad litteras Illustrissimae Dominacionis Vestrae redeo. Que quidem tam copiose sunt, ut me illarum omnino peniteat. Doleo enim Illustrissimam Dominacionem Vestram tantum laborem suscipere. Nam quod me attinet (qui alioqui beneficiis Illustrissimae Dominacionis Vestrae cumulatus sum), tale genus gracie optare non possum, quod sine molestia et labore Illustrissima Dominacio Vestra facere non potest, satis preterea occupata, eciam si me in illis litteris singula mirifice delectarunt. Maxime vero illud, quod Illustrissima Vestra Dominacio, diluens et repellens perversorum suspiciones et calumnias, tam constanter Deo fidit et in eo edificat, pristinam animi fortitudinem retinens, suaque via, hoc est virtutis, incedit. Utinam similes animos ceteris christianis Principibus et Regentibus Deus immittere dignetur, ut bonis consiliis, non vanis et falsis suspicionibus et calumniis, quibus nunc misere apud nos laboratur, Respublicas regi videamus, utque verus Dei cultus pro Epicureis securitatibus et pharisaicis artibus introducatur.

Porro quod Illustrissima Dominacio Vestra scribit, ut ego, si quando tales sermones de ipsa audirem, contrarium responderem etc. Quod quidem semper feci et per omnem occasionem facio, si non plus quam reffert, certe non minus quam me decet. Nunc autem video mihi non malam

oportunitatem me habiturum cum Regia Maiestate de hiis rebus conferre illique aliquod articulos in istis Illustrissimae Dominacionis Vestrae litteris, si commode video, legere intra dies circiter 12. Ceterum, matrimonium Illustrissimae Dominacionis Vestrae nunc istis nostris in mentem non venit, credoque illos pocius non credere futurum, quam quod impedire (presertim per Polonicam nationem) audeant.

De rebus Regni et Regis nihil in melius mutatum (Deo gracia) videamus. Accesserunt ante 1 mensem Regiam Maiestatem in venacione Niepolomicensi Craccowiensis,<sup>1)</sup> qui hoc toto anno non erat visus, et Sędomirie,<sup>2)</sup> eiusdem pariis, Palatini, atque cum ea graviter et serio de magnis rebus egerunt, ita ut Sua Maiestas Conventum Regni indicere illis (inter cetera) promiserit. Quod colloquium Castellanus Cracoviensis,<sup>3)</sup> qui tum Cracoviae fuit, iniquissime tulit atque mox postea, Regia Maiestate Cracoviam revocata, misere cum ea expostulavit, ne dicam increpavit. Initioque consilio triumvirum, decreverunt contrarium superiori, nempe nullum Conventum fieri. Et ita reversi sunt per aliam viam in regionem suam, nempe Regia Maiestas Niepolomicze, ille Sędomiriam. Nunc Palatino eidemque Capitaneo Cracowiensi vehementer dolet, quod ex Russia hoc iter suscepit consilio Palatini Sędomiriensis, qui ipse in Russiam ad eum ea causa venerat, ut illi hoc iter persuaderet, sperans et fere promittens, quod Regia Maiestas ad eorum monita et consilia aliquid esset factura. Sed cum omnia contraria videt, non ingressus est Cracoviam, a qua 3 miliaribus tantum abfuit, et fortasse non visa illa in Russiam revertetur, rebus interim omnibus infectis.

Iam vero, inter cetera, mihi scribitur et affirmatur Regiam Maiestatem Posnaniam ituram. Quod ego ante Aprilem vix futurum credo. Scribunt alii Regiam Maiestatem ante bachanalia Posnaniam aut in Littwaniam profecturam. Ego, ut supra, non credo, quamquam se Maiestas Sua Posnaniensi<sup>4)</sup> et Calisiensi<sup>5)</sup> Palatinis etc. hoc toto anno Posnaniam esse venturam promiserit et hactenus promittit. Obstat enim inter cetera defectus peccuniae, nisi forte a Iudeis tempestive colligatur. Qui nunc a singulis capitibus illius sentine per 30 grossos dare iubentur in omnibus dominiis Regni. Sed fortasse regales tantum Iudei dabunt. Qui enim alii subditi sunt, aut non dabunt, aut suis Dominis dabunt etc. Obstat eciam Domina Barbara, que commode Posnaniam adduci posse non videtur. Cære autem illa multo minus. Sed verecundiae fines preterimus etc.

Item etsi existimo Illustrissimam Dominacionem Vestram ex Trepka Domini Posnaniensis<sup>6)</sup> tragediam totam, inter eundem et Palatinum Posnaniensem etc. actam, intellexisse, tamen eam in scriptis mittendam existimavi, ut Illustrissima Vesta Dominacio inter cetera integritatem et synceritatem animi et lingue volubilitatem Episcopi Cracowiensis<sup>7)</sup> intueatur. Quem aegrotare nunc non sine periculo scribunt.

Item metuo iterum illa nova, que mihi Illustrissima Dominacio Vesta misit, Caesarem ewangelizaturum scilicet, ne nova, sive pocius vetus pro Germanis impostura struatur. Bellum enim rursus instare videtur pro papatu, qui ab omnibus fere, qui nunc sunt Romae, Cardinalibus in Galicum quempiam confertur, quamquam et Caesarianis multis Roma non careat, que et milites eius patitur circiter 10000 fiuntque varie cedes et oppressiones quotidie. Caesar autem cum suis, qui sunt Tridenti atque Consilium<sup>2)</sup> Generale representare volunt, alium Papam creare nititur, vel pocius eius umbram, quam postea per bonos Germanos ferro confir-

mare volet, ut Sanctum Spiritum assequatur. Fama enim famam subsequitur: Regem Ferdinandum Papae nomen ambire. Quod si subsequetur, habebit Europa, quod agat cum duobus Comitibus de Habspurk, qui, ut dicunt, contendunt ad res bonas, sed malis viis credo. Quas perficere, cum sint tam longe et difficiles, aetate et valetudine inclinata fere non est possibile.

Item Perse iterum magnam victoriam habuerunt in Turkas. Caesar eorum mortuus aut occisus. Filius eius duos fratres suos, una cum matre, perdidit. Nescio, quam certa.

Ego hic hesi duplo fere diucius quam debebam, nec, quod volebam, in meis rebus effeci. Memoria Regis, versicia vel dolus Episcopi Cracoviensis me feffellit. Sed credo aut me recompensam ab eis habiturum, aut illos pudere necesse est. Doleo autem me nunc ad Illustrissimam Dominacionem Vestram venire non potuisse. Cupio vero ex animo ad diem illum festum (quem foeliciter Deus) adesse, modo per Regem liceat. Sed omnes lapides movebo etc. Cras versus Cracoviam eo. Precor omnia salva Illustrissimae Dominacioni Vestrae.

Posnanie, 5 anni 1550.

Stanislaus Boianowski.

z) sic in ms.

1) Petrus Kmita.

2) Ioannes Tęczyński.

3) Ioannes Tarnowski.

4) Janusius Latalski.

5) Petrus Służeński.

6) Andreas a Górką.

7) Samuel Maciejowski.

#### *Annexum I: Legatio Andreae a Górką ad regem.*

Serenissime et Benignissime Rex.

Commisit nobis Dominus Castellanus Poznaniensis,<sup>1)</sup> ut eius nomine Vestre Regie Maiestati referamus debita et fidelia eiusdem obsequia etc. Hic sunt littore fidei porrecte.

Illustrissime et Benignissime Rex.

Pervenit ad noticiam Domini Castellani Poznaniensis, quod Dominus Poznaniensis Palatinus,<sup>2)</sup> in certo loco apud quendam amicum suum existens, inter quosdam sermones, quos tunc inter se mutuo habuerunt, hoc improbabat, quod Vestra Maiestas consilio eius adquiescere noluisset. Quod quidem eiusmodi erat, ut Vestra Maiestas Poznaniam ad festum Penthecostes proxime preteritum venisset ibidemque austeritatem indignationemque suam regiam adversus Dominum Castellanum Poznaniensem primum, deinde adversus quosdam alios ex ordine militari (quos ille authores esse aiebat) exercuisse, mediante indigna et parum christiana vindicta, hoc est (quoniam publice iam narrari oportet), ut Vestra Maiestas decapitandum curaret Dominum Poznaniensem Castellanum, posteaque alios illos, hoc adiungens, quod ubi Vestra Regia Maiestas eiusmodi consilio ipsius adquiescere voluisset, turbe iste iam dudum conquievissent, hoc est nobiles se dudum iudicandos permisissent. Adiiciebat et hoc Dominus Palatinus: Quandoquidem Maiestas Vestra eius priori consilio parere noluit, nunc se diligenter daturum operam in ista profectione,<sup>a)</sup> quod Vestra Maiestas eiusmodi suo consilio tandem stet.

Hec posteaquam Dominus Castellanus Poznaniensis auribus suis percepit, equidem non parva admiratione, simul et dolore affectus est, quod Dominus Palatinus Poznaniensis, oblitus necessitudinis christiane, qua nobis invicem devincti sumus, oblitus beneficiorum de domo Domini

Castellani Poznaniensis, presertim a parente ipsius olim perceptorum, oblitus officiorum Domini Castellani Poznaniensis erga se exhibitorum, ita hactenus latentem et occultatam inimicitiam erga ipsum declaravit. Nihilominus tamen Dominus Castellanus Poznaniensis hoc de Vestra Maiestate sibi persuasum habuit, quia apud Vestram Maiestatem, christianum et prudentem Regem, maioris momenti futura erat innocentia Domini Castellani Poznaniensis, quam istiusmodi consilia ipsius inimici.

Quantum vero conveniat ordinis huius homini, qui inter Consiliarios Vestre Maiestatis consedit, tale consilium Vestre Maiestati prebere idemque rursus inter populum divulgare, hoc Deus et Vestra Maiestas postea iudicabit. Sed quod attinet inimicitiam super Dominum Castellanum Poznaniensem agnitam (quandoquidem ita rectius fore visum est Domino Palatino), facile ipsum Dominus Poznaniensis Castellanus in hoc proposito relinquet: hoc sua vadat via. Nam hec res liberum habet forum et in cuiusque arbitrio est alterius amicitiam magni vel parvi facere. Aliud est autem, quod Dominum Castellanum Poznaniensem offendit et urget, nempe quia istiusmodi Domini Palatini sermo pervenit ad noticiam multorum et per varia loca existencium hominum, prius multo quam ad noticiam Domini Castellani Poznaniensis. Unde sequutum est illud, quod fit inter homines, ut varii varie hoc ipsum Domini Palatini consilium interpretarentur et apud se perpenderent. Quando ergo post Domini Palatini de Cracovia redditum divulgata est Vestre Maiestatis ad has provincias futura profectio, et quod illi Vestra Maiestas hanc profectionem promittere dignata est, etiam cum aliusmodi numero equitum, quam Vestra Maiestas aut Vestre Maiestatis antecessores per Regnum suum tempore pacis<sup>b)</sup> soliti erant iter facere, tunc demum ea res illum Domini Palatini sermonem inter homines confirmavit, tametsi Dominus Poznaniensis Castellanus hoc existimat neminem esse (dante Domino) in his provinciis, qui Vestre Maiestatis adventum pretimescat,<sup>c)</sup> quinimmo quemadmodum sibimet conscient est, ita et de aliis quoque existimat, siquidem id esset possibile, optaremus hoc nobis omnes, ut Vestre Maiestatis suspectu semper nobis frui liceret.

Tamen post huiusmodi rumores, qui est<sup>c)</sup> de Vestre Maiestatis ad illas provincias adventu, variae loquellae et conjectuae sunt et palam hoc profitentur, quod sibi hoc non optarent, ut Vestra Maiestas, tali consilio adducta, hac ratione se subditis suis ostendere deberet.

Quod quidem dum innotuit Domino Poznaniensi Castellano, ille recordatus officii sui, quo Vestre Maiestati Regie devinctus est, committere noluit, quin hec Vestre Maiestati nota faceret, quae in mentes hominum invaserunt, et que sunt manifesta colloquia inter homines de huiusmodi Vestre Maiestatis ad has provincias adventu. Et quamquam Dominus Poznaniensis Castellanus eam de divina gratia fiduciam habet, quod nunquam adeo procul faciem suam sanctam benignitatemque a Vestra Maiestate Regia avertere dignabitur idque admittere, ut eiusmodi inconvenientibus consiliis Vestra Maiestas locum apud se datura sit, solatur se etiam<sup>c)</sup> innata eius vere regia virtute, qua Vestra Maiestas a Deo dotata est, attamen recordatus fragilitatis humane, a qua et uncti Deo liberati non sunt, sed ad instar aliorum hominum circumdati sunt infirmitate, adductus supramemorato officio, sicut fidelis consiliarius admonet, utque obsequens servitor per nos, amicos suos, orat, quo Vestra Maiestas hec non ignorans, ita omnes affectus suos moderari velit, ne se cuiquam Vestra Maiestas permittat abducere a factis Regis christiani

et eas rationes inire velit, quibus<sup>d)</sup> non tantum divulgatio istiusmodi ex mentibus hominum eximi possit, sed etiam illa omnia, quae animos hominum offendunt, possint fieri pacata. Ad quod efficiendum Dominus Castellanus Poznaniensis aliam commodiorem viam non novit, nisi ut Vesta Maiestas, semotis omnibus dilationibus, Comitia Generalia velit indicere ibidemque iam tandem illud efficere, ad quod Vesta Maiestas litteris suis se obligatam facere dignata est. Factura rem non minus Maiestati Sue decoram quam debitam, et consolabitur animos omnium subditorum suorum, hoc ipsum ardentissimis votis a Vesta Maiestate expectancium. Unde Vesta Maiestas non tantum inibit apud suos subditos ingentem gratiam, verum etiam ea via et gratiam divinam consequetur et apud exteris nationes magnam gloriam immortalemque memoriam nomini suo comparabit. Nec dubitat Dominus Castellanus Poznaniensis, quin Vesta Maiestas hoc ipso fideli eius consilio sit bonum locum apud se datura et eiuscmodi legacionem, per nos ad Vestram Maiestatem factam, benigniter sit apud se acceptura, ipsi et familie ipsius benignum se Dominum exhibendo. Cuius benignitati se ipse per nos, amicos suos, cum debita humilitate et studio commendatum facit.

16 Novembris 1549.

*Sub textu manu Stanislai Bojanowski:*

Legacio a Domino Castellano Posnaniensi per Dominum Iacobum Ostrorog et Syrakowski etc. habita, ex Polonico scripto de verbo ad verbum translata.

- |  |                                      |
|--|--------------------------------------|
| a) <i>hic in textu littera A suprascripta et in margine verba: A proximo 7-bri</i> | d) <i>sequitur verbum expunctum.</i> |
| b) <i>supra lineam.</i>  | z) <i>sic in ms.</i>                 |
| c) <i>hic in textu littera F suprascripta et in margine: Innocencia sua atque</i>  | 1) <i>Andreas a Górką.</i>           |
|  | 2) <i>Ianussius Latalski.</i>        |

*Annexum II: ex sermone Samuelis Maciejowski.*

Sacra Maiestas Regia, Domine Ostrorog, et tu, Domine Szyrakowski, quod ipsammet, priusquam hoc conclavi discessissetis, dicere audivistis, mirari se ait, quid sibi haec legatio velit, a subditis ad Principem, a Senatore ad Regem, contra morem maiorum missa. Et tamen minus fortasse illam iniquo animo (qualiscunque illa est) latura videretur, si hac causa institutam esse, quam attulisti, non alio potius consilio putaret. Verum enimvero cum Maiestas Regia probe meminit nihil hic eiusmodi secum Dominum Palatinum egisse, quod vos defertis, quodque de se locutum illum Dominus Castellanus ait, non posse in illum virum, cuius gravitas, autoritas, dignitas per longam aetatem constanter actae vitae et erga Rempublicam non obscuris officiis probatae perspecta omnibus est, eam levitatem cadere certo sibi persuadet, ut quod nunquam hic egisset, sed ne cogitasset fortasse, egisse se fingere possit.

Et quidem hoc sibi, ut de omnibus Regni sui Senatoribus, ita de hoc quoque Domino Palatino persuadet Maiestas Regia, nihil quenquam eiusmodi secreti consilii secum habere, quod si quando usus accidisset, publice esset habiturus, ne se quidem passurum, ut infami consilio quisquam aures suas contaminare audeat, id cupere, ut sui quoque de se sibi persuadeant. Quare cum causam hanc non esse huius legationis, quam

praetexitis, videat, nihil enim actum esse eius generis secum, quod quem laedere possit, nihil dictum a Domino Palatino Maiestas illius putat. Nam si etiam maxime dictum quid esset, quod Dominum Castellatum offendere posset, cur id publice denunciat? cur per Legatos? cur nihil queritur? cur ius sibi cum eo dici non postulat?

Nimirum aliam huius legationis causam esse Maiestas Sua arbitratur eamque illo spectare, ut in odium ac invidiam suorum Sua Maiestas adducatur, ut cum paucis de sanguine ac vita suorum crudeliter decernere omnibus declaretur, ut paucorum niti consilio tyrannorum more videatur. Quod quantum a vita et moribus Suae Maiestatis absit, omnes, quicunque vel minimum secum consueverunt, testes cittat. Quem unquam Maiestas illius privatim iniuria affecit? Cui non pocius de suo concessit, quam ut alienum violaret? Quem verbo factove laesit? Multorum ad se delatis sermonibus, quibus Maiestas dignitasque sua violabatur, nunquam ita excanduit, ut supplicium cuiquam minaretur. Et etiam nunc multa multorum clandestina (quorum tamen autores non ignorantur) dicteria magna animi pacientia fert, omnia Reipublicae haec condonat, quin hanc quoque legationem, se indignam, Reipublicae turpem, feret tamen et indignitatem suam Deo vindicandam committit. Nam quid indignius esse potest, quam subditum cum Principe per legatos agere, quid deformius, quam prodere intestina haec Senatorum odia seque ridendos externis, imitandos malo exemplo suis exponere?

Si de se dictum aliquid a Domino Palatino ille credit, potuisse illum per literas, potuisse per amicos id ad se deferre Maiestas Regia dicit. Si Maiestatem Regiam de capite suo agitasse consilia suspicatur, potuit, quis Princeps esset, qua vita et moribus, qua animi mansuetudine de illo cogitare. Nam quod frequentiori stipatus equitatu in Maiorem Polonium expeditionem parare vulgo dicebatur, liberum sibi esse putat, quanto vult comitatu septus, provincias urbesque suas obire. Et quidem, ut quantocunque esset septus praesidio, nemini bonorum formidini esse se profitetur, ita nullo satellico stipatus, divino numine et charitate civium<sup>a)</sup> tutum se ubique futurum confidit. Se credere Deum, ut privatorum, ita maiorum eorum, quos unxit populoque suo praefecit, curam angelis suis mandasse, praecipue cum piam honestamque causam profectionis suae esset habitura. Nempe, ut ius diceret, suos ab iniuriis, a vi et cede vindicaret, iudiciorum dignitatem violatam et sedicionibus vexatam constitueret. Comitia autem hac causa edici non debere Maiestas Regia putat. Quia non ad iurgia, rixas, contentiones edici oportere, sed ad pacem publicam, ad ordinum concordiam, ad odia extingueda arbitratur. Alioqui omnino fore proximis Comitiis similia, in quibus praeter dignitatem suam acceptam indignis modis se meminit. Qui autem ex eo sint consequuti fructus, nemo est qui non senciat.

Eodem pertinere dicit Maiestas eius, quod per vos publice in omnium frequenti corona illam est hortatus, ut inchoata et relicta negotia Reipublicae absolveret officioque suo fungeretur, in eoque se Maiestati Suae putat invidiam odiumque suorum conciliare, quasi projectis omnibus officiis publicis fungi negligeret. Cum nihil praetermisisse se existimet, quod quidem officii sui esse putavit. Expectasse post multorum Senatorum discessum Piotrkowiae aliquandiu, desertam a ceteris, cum iis, qui erant relicti, Senatoribus de Republica consultasse, et quae potuit, absolvisse, ea nunc exequi, ius dicere, suos tueri, et quidem quod ad se attinet, hoc

Reipublicae infesto a Tartaris tempore studium et voluntatem suam iuvandae Reipublicae abunde esse testatam, non se sumptui, qui in milites est factus, pepercisse, non deinde, si opus fuisse, suo ipsius labori parcere voluisse, paratam se ad omnem bellicam expeditionem, si maior aliqua vis ingruere videretur, ad hostes finibus suis arcendos fuisse. Viderint caeteri, an officio suo tum functi sunt, quantum se fungi hactenus Maiestas illius dicit, qui iudicia turbant, cedes impune ac impressiones impotentiorum in provinciis suis fieri paciuntur.

*Sub textu manu Stanislai Bojanowski: Ex sermone Episcopi Cracoviensis excerptum, ita mihi huc missum.*

a) *in margine.*

*Annexum III: litterae regis ad Andream a Górką, 12.XI.1549.*

Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae.

Magnifice, sincere nobis Dilekte.

Quae Synceritas Tua nobis scripsit de conventiculo Pizdrensi, et quae ibi contra ipsam dicta factaque sunt a quibusdam, non sine admiratione molestiaque accepimus. Si enim ita se res haberet, quemadmodum ad Synceritatem Tuam perlatum est, esset non modo cum iniuria ipsius Synceritatis Tuae, verum eciam cum indignitate et contumelia nostra coniuncta. Nos sane de Synceritate Tua nihil aliud cognitum et compertum habemus, quam quod de gravi, prudenti et fideli Senatore decet. Quo vero provectiore aetate Synceritas Tua est exactioreque iudicio, hoc aequiore animo eam rem istiusmodi ferre convenit, quando nos quoque viridi hac aetate multa patienter et moderate ferimus, eiusdem Synceritatis Tuae consilio et monitu.

Quod igitur Synceritas Tua nobis dat consilium, hoc ipsa imprimis sequatur consentaneum est, quoad sine bonae famae atque existimationis sua detimento potest. Solari autem debet sese imprimis conscientia recte factorum et innocentia sua, deinde testimonio nostro, quod ipsi damus dabimus semper, de integritate, fide, studio et meritis in Rempublicam. Utinam quidem haec paria essent in iis, qui Synceritati Tuae obtractant! Minus multo haberemus negotii, essentque tranquilliora omnia in hoc Regno nostro, quam nunc sunt. Quo fit, ut Synceritatem Tuam in isto etiam negocio nihil temerarium, nihil turbulentum, nihil tanto talique Senatore indignum agressuram, vim vero atque temeritatem et audaciam aliis relicturam esse confidamus.

Si res in iudicium deducetur, non deerimus Synceritati Tuae, quoad iusticia pacietur. Quicquid autem opis et auxilii cuique in re istiusmodi legitime adhiberi solet aut potest, nihil Synceritati Tuae negabimus, cuius virtutem, fidem et merita erga nos et Rempublicam perspecta habemus. Quod si quis forte, honoris et officii sui immemor, aliud quicquam, quod vis dictat autoritate nostra contempta contra Synceritatem Tuam attentare aut moliri temere et insolenter ausit, et qua iam forte audacia contra inferioris condicionis homines uti cepit, eam adversus Synceritatem Tuam, primarium Senatorem nostrum, exercere perget, pollicemur nos omni ope, quoad nobis licebit, Synceritatis Tuae dignitatem, salutem fortunasque contra quemvis sedulo defensuros esse. Quocirca Synceritas Tua bono sit animo et salutem valetudinemque suam

diligenter curet, ac si quid erit, quod scire nostra intersit, faciat nos absque mora cerciores. Bene valeat Synceritas Tua. Datum in Nyepolomice, XIIa Novembris, anno Domini MDXLIX, Regni nostri XX.

Sigismundus Augustus Rex  
subscrispsit.

Ex commissione propria Regiae  
Maiestatis.

*Annexum IV: Martinus Załoga ad S. Bojanowski, 19.XII.1549.*

Salutem et observantiam.

<sup>a)</sup> Pluribus, quam tu ad me scripsisti, tecum non agam, non quod molestum aut grave sit scribendo memoriae tuae dare operam, sed quia cum alias semper ad scribendum nemo est me pigrior, ne dicam inepcior, tum nunc in isto alto ocio veterus me plane occupavit, et revera quod scriberem, non equidem invenio. Mandata tamen tua explicavi, et quibus litteras a te reddi voluisti, iisdem omnibus dici curavi, ut, si quid vellent ad te, intra triduum rescriberent idque mihi mitterent. In quibus primus fuit omnium, ne eum sua laude fraudem, ille, quo tondente gravis etc. Segulti sunt deinde alii, quorum litteras uno complexus fasce, ecce tibi mitto.<sup>b)</sup>

Quid aliud scribam non habeo, nisi, si nescias adhuc, Principem aspersam ex legacione Gorcana molestiam cum Augusta in Niepolomice abstergere, diesque hos festos ibi transigere cupere, si per, scis quem, paedagogum liceat. Cuius autoritatem fugiens, ne matutinis istis rorantibus sacris visitandis <sup>c)</sup> antelucanum Barbarae concubitum interrumpere subinde <sup>d)</sup> cogeretur, concessisse illo dicitur.

Capitaneatus Trembowliensis Radomiensi Domino<sup>1)</sup> attributus miras hic turbas dedit. Tunc enim ille captandis capitaneatibus inhians Lutomirus, primum cum ipso Pontifice apud Regem acriter expostulavit, deinde vero cum Lublinensi Domino,<sup>2)</sup> cum eum convivam sive hospitem haberet, ita egit, ut eum Regis Regnique proditorem, ille contra istum furem et peculatorum utriusque, appellari. Sed haec ex aliis melius. De me ne nescias, aegre eciam pedem traho. Interim tamen non segniter labore, ne me adveniens in hoc castro deprehendas, sed tandem tanquam hominem, et eum quidem cautum, habitare das. Amici Cors, Fridericus, Ceras[ius], Pippa (reddiit enim salvus), Ursus, omnes te unice resalutant. Unde etiam, si quid male curatum vis, mihi manda. Moranovio salutem et obsequium dico. Craccoviae, die 19 Decembris, anno 1549.

Devotus deditusque  
Martinus Zaluga.

Rogo te per tuam fidem, ne quid horum, quae licencius scripsi, sit mihi fraudi noxaeve.

*In dorso:* Generoso viro, Domino Stanislao Bojanowski etc., Secretrario et Aulico Regio etc., Domino et Amico Colendissimo. Poznaniae.

a)-b) haec pars epistolae (a Bojanowski) ex  
puncta esse vult.

c)-d) in margine.

1) Bernardus Maciejowski.  
2) Andreas Tęczyński.

N. 1217.

Strzyna, 12.I.1550.

*Ioannes Policki*

*Alberto in Prussia duci*

*de promissione regia dominam suam [Barbarem] in Lithuania remittendi et Comitia Regni generalia indicendi, quam rex non servavit; tres equos gradarios, duos pecunia coemptos et unum dono datum, duci mittit; summam ducentorum florenorum mutuo sibi a duce dandam petit et libertatem pellendi gregis per dominia ducis exorat; Ioannem Orzechowski, succamerarium Chelmensem, commendat, qui duos filios suos in Universitatem studiorum Regiomontanam mittere cupit.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.379.*

N. 1218.

Lasko, 17.I.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,*

*Alberto in Prussia duci*

*refert de regis et aliquorum senatorum proximis itineribus; de regis Ferdinandi legatione ad Turcas missa; de pontificatu Romano ab eo rege recusato.*

*Sigill. Autoogr.*

*H B A, B 2, K.379.*

**Illustrissime Princeps.**

Ante dies 12 vel circiter ex Posnania ad Illustrissimam Vestram Dominationem litteras dedi, in quibus id, quod tum tempus tulit, scripsi atque exempla de negocio Domini Posnaniensis,<sup>1)</sup> in scriptum redacta, misi. Nunc quod scribam aliud non habeo, quam quod Archiepiscopus<sup>2)</sup> Cracoviam proficiscitur, cum Palatino Cracoviensi<sup>3)</sup> et Sandomiriensi<sup>4)</sup> conventurus. Atque iterum tentaturi sunt istic, possit-ne animus regius precibus et consiliis eorum flecti, ut sedandis istis motibus studeatur. Urget enim eos vehementissime, quod Sua Maiestas sibi persuadere sinit, ut nullus Conventus Regni habeatur. Wir haben uns aber vider gen Niepolomicz werkruchen. Scribitur autem ex Cracovia Regiam Maiestatem omnino in Littwaniam cogitare. Idque et Palatinus Posnaniensis<sup>5)</sup> (qui hoc quam maxime nollet) affirmat. Quod ego dubito. Video enim ex una parte Regiam Maiestatem hoc ex animo cupere, ex altera vero ab omnibus, quorum consilia et autoritas omnia nunc possunt, quam diligentissime retrahi. Victorem ostendet tempus. Marszalcus novus dux<sup>6)</sup> nunc est in Aula, cuius consilio hec in Litwanię profectio fieret. Ego vereor, das man nicht in Littawen zilt und gen Posen trifft.

Episcopus Cracoviensis<sup>7)</sup> convaluit. Laski<sup>8)</sup> Palatinus porro egrotat, melius tamen habet, quam ante 2 menses. Qui se neutri parti adherere dicit, cum sibi neutrius studia placeant. Sed video illum totum regium esse, ita ut alteri parti preter colorem nihil sit relicturn.

Ab extra scribitur Regem Ferdinandum papatum nolle. Item cum Regina Ungariae Isabella et eius Monacho<sup>9)</sup> ita tractat, ut omnino creditur eos hac tota parte Ungariae, quam possident, brevi cessuros illique in manus tradituros, Isabellam ad nos venturam. Que si cum nostra Barbara convenerit, atque pro Republica consultare ceperint, ve illis, cum breviori.

Item Carolus Zirotinski,<sup>10)</sup> Regis eiusdem apud Turcam nuper in Asia Legatus, rediit. Qui ad alios 5 annos pacem postulavit, atque ut de tributo in tales 5 annos utrinque constituatur. Responsum est Caesarem hic esse non domi, nihil tale hic tractare, presertim priori quinquennio non elapso. De tributo autem futuro nihil vult tractare, quia preterita et presencia non sunt soluta.

Ex Gallia scribitur Regem Galliae<sup>11)</sup> Regno Szcottie potitum esse iamque ibi suum Gubernatorem habere. Angli quoque itidem facturi indies expectantur. Sunt res magnae, si verum est.

De papatu publice ferro certabitur, ut omnes dicunt, iamque private cedes creberime visuntur.

Octavius, Petri Aloisii filius, ad Imperatorem descivit, cuius notam<sup>12)</sup> habet. Reliqui duo fratres eius, Horacius et Cardinalis Farnesius, Romae agunt, occupato atque munito Castro Angeli etc.

Imperatorem Coloniae fuisse nuper affirmabant, sed incerto autore.

Ex Hispaniis scribitur famam illuc perlatam, quod Caesar esset mortuus. Quod ubi perceperissent Hispani, egerunt consilia, ut filium Caesaris non reciperent etc.

Nihil est aliud, quam ut Illustrissima Vestra Dominacio foelicissime valeat. Ex Lasko, 17 Ianuarii 1550.

Quarto abhinc die ad Regem veniam.

Stanislaus Bojanowski

- 1) Andreas a Górką.  
2) Nicolaus Dziergowski.  
3) Petrus Kmita.  
4) Ioannes Tęczyński.  
5) Iannussius Łatański.  
6) Nicolaus Radziwiłł « Niger ».

- 7) Samuel Maciejowski.  
8) Stanislaus Łaski.  
9) Georgius Utšenović, alias Martinuzzi.  
10) Carolus a Zirotin vel Zierotin.  
11) Henricus II.  
12) Margarita Austriaca.

N. 1219.

Lasko, 18.I.1550.

Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,

Alberto in Prussia duci

Stanislaus Łaski, palatinum Siradiensem, commendat; refert de litteris exsecutorialibus, Roma allatis, castellanum Posnaniensem [Andream a Górką] pro haeretico condemnantibus.

Sigill. Autogr.

H B A, B 2, K.379.

Illustrissime Princeps.

Novit Illustrissima Vestra Dominacio, quod nomen habet in re militari et quam sit alioqui in rebus gerendis industrius Dominus Łaski, Palatinus Siradiensis. Is, habens nescio quod negocium apud Illustrissi-

mam Vestram Dominacionem, voluit, ut eius mencionem<sup>a)</sup> Vestrae Illustrissimae Dominacioni facerem, quo facilius voti sui compos fieret. Ego vero, qui multa Illustrissimae Vestrae Dominacioni debo, debo et illud curare, ut quam plurimi, presertim insigniores, ei sint addicti et benevoli ac obsequentes. Quare non dubito, si quid Illustrissimae Vestrae Dominacioni non incommodum petet, quin exaudiatur.

Ceterum, cum hec scripsisset, ecce mihi e Craccovia littere afferuntur, quibus scribitur litteras exequitoriales, ut vocant canoniste, e Roma allatas contra Dominum Posnaniensem, qui pro heretico, non cittatus, non auditus, non convictus, condemnatus est, opera scilicet nostrorum magistrorum. Voluntque, ut Rex, qui ibi exequitor scriptus est, exequatur, ut videlicet ipsum infamem, proscriptum necatumque curet ac omnem eius sustanciam accipiat etc. Sequuntur autem isti boni consiliarii statutum Regni, quod nostri druides inter alias Regni leges, mox post Ioannis Hus innocentem mortem, intruserunt. Sed tamen hactenus nemo ea lege iudicatus est, nec usque extat eius exequucio. Et ne nunc quidem, ego credo, exequetur, non quod velint ex animo, sed quia non audent. Adderent enim prioribus flammis stramina.

Item missus est Czarnkowski circa finem Decembris ad Regem Ferdinandum Orator, ut ex Posnania nuper scripsi. Nunc alium miserunt, Matthiam Goreczki, in spacio 14 dierum post priorem.

Item significabit Illustrissima Vestra Dominacio per occasionem, redite-ne sint tales litterae, e Posnania misse. Que foelicissime valeat. Lasko, 18 Ianuarii, 1550.

Stanislaus Boianowski.

a) sequitur verbum expunctum.

N. 1220.

Cracoviae, 3.II.1550.

*Samuel Maciejowski, episcopus Cracoviensis et R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
ad nuptias ducis cohonestandas Christophorum Konarski, familiarem  
suum, mittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.379.*

N. 1221.

Cracoviae, 5.II.1550.

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,  
Alberto in Prussia duci  
ad nuptias ducis cohonestandas Ioannem Zaborowski, secretarium suum,  
mittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.379.*

*Iacobus Przyłuski, notarius castri Premisliensis,  
Alberto in Prussia duci*

*spreto coelibatu Romano, uxorem se duxisse nuntiat et sub tutelam ducis  
nunc confugere; refert certa nova de Turcis et Valachis in Podolia.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.379.*

Illustrissime Princeps etc.

Cum Vestra Illustrissima Dominatio sacro sese dedidit coniugio, cum omnibus piis Deum Patrem per Iesum Christum Dominum nostrum precor, ut eius sacri matrimonii fructum videat et relinquat post se non solum tanti generis ac bonorum, verum etiam purioris religionis ac virtutum haeredem, qui coram gentibus nomen Dei Iehovah portet exemplique Vestrae Illustrissimae Dominationis adversus inferorum portas et munitiones Sathanae stet imperterritus, ut aliquis angulus verae Ecclesiae Dei in terris relinquatur, sitque eius nutritor ex Principibus aliquis, qui non potet de poculo meretricis Babilonicae, ex quo omnes gentes potarunt, et cum qua omnes fere Reges terrae scortantur susceperuntque bellum adversus agnum.

Quia vero Vestra Illustrissima Dominatio ad meam quoque humiliatem demittere sese non deditatur, ei quoque rationes vitae meae significandas esse duxi, praesertim autem eas, quae facile reliquum vitae meae cursum arguunt. Perosus enim coelibatus Romani sanctimoniam plus quam angelicam, uxorem duxi Valentini Dambienski, Regii Referendarii et Iudicis Terrestris Cracoviensis, ex fratre neptem. Tota autem studia mea circa Statuti Polonici, iam integri futuri, editionem hoc tempore insumo insumamque hoc toto anno, nisi quid obstiterit, quod absit. Hoc unum certum apud me constitui, quocumque locorum degam, quicquid etiam agam, Vestrae Illustrissimae Dominationis patrocinio fruar eique me, tanquam tutelari cuiquam numini, conservabo, et si ita res poscat, servabo, si modo Vestra Illustrissima Dominationis gratia et favore suo me meamque hanc gratificandi voluntatem prosequi et meis servitiis, quae ego pro tenuitate mea queam praestare, uti dignabitur. Quod si in illis obeundis fortasse non responderem palato Vestrae Illustrissimae Dominationis, facultatem, quae exilis est, non voluntatem, quae ei dedicata est, defuisse intelliget.

Heri allatum est hoc partim triste, partim laetum nuncium. Primi enim tabellarii, ex finibus Russiae missi, nunciabant Pretwicium in Bar a Valachis et Turcis obssessum esse, ut non conquieturi essent, donec vivum comprehendenter Turcarumque Imperatori, ante aliquot menses Constantinopolim ex Persia reverso, adferrent. Secundi autem ad 5000 ipsorum Turcarum et Valachorum a Palatino Belsensi<sup>1)</sup> et ipso Pretwicio fusa esse certo referebant. Ita hic nos inter spem metumque positi nescimus, pacem-ne an certum bellum expectemus cum illo tyranno, qui liberorum Principum professus hostis est. Duo autem sunt, quae his novitatibus, huc certo alioqui allatis, fidem abrogent, et quod Legatus Turcae, qui Persam victimum esse referebat, nuperime hic secessit. Et quod Bogusz, Capitaneus Crasnostaviensis,<sup>2)</sup> regius itidem Legatus, nondum ab Imperatore reversus sit, hoc certum est,

quod breve tempus ostendet, quid nobis polliceri debeamus. Utinam aliquando excuteremus veternum! Et quae ad Rempublicam tuendam spectant, serio meditarentur ii, qui ad illius clavum positi sunt, praesertim autem hoc tempore, quo Comitia edicenda sint, ut ipsa Respublica, multis modis convulsa, constabiliretur suamque reciperet dignitatem...

Datum Cracoviae, sabbato ante dominicam Reminiscere, anno Iustificationis nostrae ex fide gratuitae MDL.

Vestrae Illustrissimae Dominationis  
cliens devotissimus  
Iacobus Prilusius, Notarius castri Praemisliensis  
et Illustris Domini Pallatini Cracoviensis<sup>3)</sup> etc. familiaris.

1) Nicolaus Sieniawski.

2) Nicolaus.

3) Petrus Kmita.

N. 1223.

Cracoviae, 10.IV.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,*

*Alberto in Prussia duci*

*procerum Polonorum, saecularium et spiritualium, virtutes et vitia de-*  
*pingit; de statu religionis refert; de itinere regis in Lithuania, a*  
*salute vel morte reginae Barbarae pendente, cuius statum crudis*  
*verbis describit; de regina Bona, de hostilitatibus inter proceres etc.*  
*(Annexum: novitates « ab extra »).*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.379.*

Precor Illustrissimae Vestrae Celsitudini omnia foelicissima.  
Illustrissime Princeps.

Status rerum nostrarum, in priori fermento herens, tranquillior videri possit illis, qui corticem eius tantum respiciunt. Sed interiora videntibus novas turbas minatur, ex novis faccionibus sive secessionibus futuras. Castellanus enim Cracoviensis,<sup>1)</sup> autoritate et in rebus Regni tractandis industria facile primus, a regis studiis, vel pociis affectibus, et aulicis practicis non obscure deficere videtur. Et ad Rempublicam dicunt accedere, cum Castellano Posnaniensi<sup>2)</sup> in graciam redire et hanc arcta quadam affinitate firmare velle, Regia Maiestate pessime contenta. Mortuo enim Samuele Episcopo ac isto deficiente (quem plurimos sequuturos esse non est dubium), nemo est in partibus regiis, cuius industria ad regendam navem tam erroneam sufficere videretur, preter Ioannem Oczieski, Regni Vicecancellarium, ingenio quidem non segni, astutia vel pervicacia pocius insigni, sed autoritate nulla aut parva, opinione autem pessima, si eam sigillum non tueretur, vaccante presertim Cancelleriatus. Palatinus Cracoviensis<sup>3)</sup> nobiscum est et non est. Qui preterita estate linxit, quod ante percacaverat, nunc neque in hac, neque in illa parte fidem habens. Veteres tamen inimicicie cum Castellano Cracoviensi in partibus regiis magis eum fortasse detinebunt, quam alioqui sperari potuisse, quamquam odia illa inveterata mira dissimulacione nunc teguntur.

Palatinus Sędomirie, Ioannes de Tęczin, etate et maturitate fortasse ingenii vel iudicii commendatus, ab utraque parte captatur. Qui hoc toto tempore se medium quoddam tenere pretendebat, magis tamen contra, quam pro Rege (ut quidem Rex iudicat) egit. In partibus enim Reginae Bonae semper mansit. Est hic Cracoviae nunc, tentans quidem nos, sed et tentatus a nobis.

Palatinus Calissiensis<sup>a) 4)</sup> omnium parcum semper fuit loquacitate et lubricitate, nunc odiosus, nunc observantior. In partibus Castellani Posnaniensis nunc esse videtur. Sed nusquam illi fides integra.

Hos quinque nominavi, qui autoritate et ingenio pre ceteris excellunt. Reliqui aut utilitatem tantum respiciunt (quamquam et isti priores nihil tale omissunt), aut turbine quodam feruntur, officii sui et decoris oblitii.

De Episcopis taceo, quia indigni sunt, ut eorum fieret mencio. Etsi autem semper antehac nebulones fuerint, ingenio, doctrina et industria tamen existimationem tutabantur. Nunc nihil est tale. Sunt quidem aliqui, qui astutuli esse volunt, ut Uchanski, Electus Chelmensis in Russia, sed nihil est, gravitate et existimatione sublata, quibus illi Tomiczki, Choienski, Maczieiewski nitebantur.

Religionis status melius quidem habere sperabatur istorum levitate et ineptiis. Dyabolus tamen in cor Vicecancellariorum (qui nunc apud Regem inter omnes primus est) in specie mulieris ascendit (monacham enim, aut semimonacham, dispensacione papali duxit uxorem). Qui tam crudus et impudens papista est, ut omnes Episcopos impietate supereret, eorumque negocium longe diligencius promovet quam suam salutem.

Procedit tamen verbum Dei paulatim inter nobiles, contemptis Episcoporum et aliorum ministrorum. Fovent multi sacerdotes christianos, quos ab Episcopis deffendunt, ita ut indies plures veritatem agnoscant. Nec dubitamus (si quando Regia Maiestas cum nobilibus suis conveniat) magnam partem scelerati Imperii papistici ruituram esse.

Barbara nostra Regina, inaudite pestilencie et spurcissimi fetoris vas, adhuc spirat artesque incantacionum porro in nos exercet. Misericordia nuper huc due vetulae, vel lamiae, ex Littuania per Ducem Marszalcum,<sup>5)</sup> ut dicunt. He nos misere tractant denuo, cum iam ab aliquod septimanis nonnihil ab illis Furii respirare cepissemus. Nec miseret Barbaram boni adolescentis, qui ei amplius, nec illa ipsi usui esse potest. Decumbit illa perpetuo, nec se tantillum suis viribus mouere potest, alienis vero egerrime. Putrefacta est circa pudenda, pedes tumefacti, reliqua pars corporis spungia siccior. Bibit et vorat, sicut camellus, sed omnia cruda eicit superius inferiusque. In summa nemo est, qui credat eam vivere posse, et tamen adhuc faciem fucare non desinit, ut nos ad extreum spiritum ludat.

Iter in Littwaniam ab eius salute vel morte hactenus pendebat, et nunc quidem pendere videtur. Sed accedunt deliberaciones de Comiciis Regni, Statibus ante finem huius 1551 anni a Regia Maiestate promissis. Quas<sup>2)</sup> quidem celebrare cupimus ab uno latere, ab altero supertugimur,<sup>2)</sup> et ita sumus inter spem et metum. Tributum quidem nobis necessarium cupimus, sed suffragia, quibus hoc efficitur, fragilia sunt. Metuimus vero ignavie et socordie nostre reprehensiones. Porro ad matris<sup>6)</sup> peccuniam suspiramus, sed animi ex utraque parte nondum ex veteri exacerbacione placati sunt. Quamquam huc nuper (magna omnium admiracione) mater nunccium miserit, per quem nostre Barbare honorem reginalem defert, dignitatem hanc gratulatur, omnia fausta et foelicia precatur seque in graciam Dominae et filiae charissimae commendat. Le-

gatus fuit Griseus monachus, nacione Grecus,<sup>7)</sup> Franciscanorum (ut vocant) minister. Qui Latine loquutus est et inter cetera: Testatur, inquit, Sua Maiestas Reginalis Deum, se hoc ex animo et sincero corde facere, et ego sum in hoc testis conscientiae Sue Maiestatis. Quia confessor est. Item nomine sororum Regis eadem verba ceremoniarum, Dominam earum graciosissimam appellans.

Nos quidem tali legacione exultamus, non sumus tamen ea placati, quod eam ab arte pocius aliqua, quam ex vero favore procedere credimus. Que autem sint ille raciones, vel cause aut artes, apud nos paucis aut nulli cognitum esse credo. Ego ex coniectura existimo has duas causas, aut unam ex illis esse: prima, quod mater cupiat cum filio in graciam redire, si non amoris materni causa (qui et offensus est et metu amittendae peccuniae sollicitus), at certe, ut in aliquam partem practicarum et negotiorum (sine quibus cerebrum Italicum siccescit) se insinuet et involvat. Cum autem videat presentem filii affectum nulla alia ratione cicias vinci posse, quam ubi quis Reginae Barbarae et eius sancto matrimonio aplaudet et benedicat, metuensque, ne hec occasio morte egrotae (quam brevi expectat) preriapiatur, visum est ei hunc casum antevertere.

Secunda: veteres et acerrime inimicicie et hostilitates, si licuisset, quas habet cum Castellano Craccoviensi, has hoc pacto vincere se putat, si ille ab aula deficiat, ut dicere posset: Veteres migrate coloni. Speraret ipsa in locum eius succedere et clavum tenere, quem ipse habebat. Quod se non posse<sup>b)</sup> efficere sentit, si ille non emigret.

De persona Illustrissimae Vestrae Celsitudinis et nostrorum erga eam voluntate et animo non est, quod multa scribam, ut de re, que certam regulam non servat. Comparari possunt ventis raciones nostre mentis. Nihil dubito Castellanum Craccoviensem maioris nunc facere benevolenciam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, quam hoc triennio.

Palatinum Craccoviensem stupidae, et Vicecancellarium sceleratae religionis causa, inimicos animos gerere, primus ignorancia, ut dixi, sed mera malicia postremus. Cuius naturam et mores paucis depingere nemo potest. Credo enim illum monachorum 600 simultates et pharisaismos, immo odium omnium virtutum devorasse. Porro ad eius graciam comparandam proximam viam existimo male illi facere. Metuendo enim melior posset evadere. Secunda: nec male, nec bene vel nihil prorsus. Sed beneficium in eum conferre est inimicum emere tanti, quantum illi datur. Quod quidem in aliis fere omnibus contrarium reperitur. Solemus enim animos hominum muneribus nobis conciliare, istius vero exasperare non est dubium. Primum enim contemnet eum, quod se ab eo videt magnificeri. Deinde componet faciem, gestum et verba ceremoniarum, blandiciarum et adulacionis impudentissime coacervabit, quibus animo sincero magnam molestiam et tedium adferet, voletque, ut illi credatur. Cum tamen ille a suis pervicacissimis astutiis ad benevolenciam ne tantillum inclinabitur. In summa, astutiis, calliditate et pharisaismo Samuelem superavit, illum, inquam, Episcopum Craccoviensem, qui magis versipellis fuit, quam quisquam unquam Polonorum. Sed tamen ille habuit suas quasdam egregias virtutes, nec fuit emulus alienarum, ubi de suo commodo non agebatur.

Sed ignoscet Illustrissima Vestra Celsitudo, quod nimium progressus sum, nulla certe privata malevolencia, sed pharisaismi et pestis publice odio ductus. Porro ad propositum. Sandomiriensis et Calisiensis Palatini et multi alii Senatores, ex quorundam persuasione, de studiis Illustrissimae Vestrae Celsitudinis melius senciunt. In ordine vero equestri me-

lior pars bene favet Illustrissimae Vestrae Celsitudini, cum bona indies accessione.

Item de me nescio quid scriberem aliud, quam quod cupidissime opto videre Illustrissimam Vestram Celsitudinem. In autumno quidem, ut ante scripsi, ad eam venire proposui, sed propositum meum in aliena potestate positum est. In aula sum corpore magis, quam animo. Cogor tamen arbitrio Regis obtemperare. Qui si non dabit panem extra aulam, in aula manendum est, nisi fames et mores (quorum causa substancie et, heu, boni animi dispendium fit quotidie) in parvum agrum meum me extrudant.

Item cuperem scire, an omnes meae epistolae ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem perferantur. Quas omnes longum esset enumerare. De duabus vero magis sum sollicitus, proxima Quadragesima missis.

Item si quando Illustrissima Vestra Celsitudo litteris suis mihi quidpiam mandare voluerit, iubeat litteras (si forte tum abessem) ad Erasmus aut Christopherum Schilling dare. Ioannes enim Vonsam, empta villa, rusticam agit vitam...

Cracovie, 10 Aprilis, 1550.

Stanislaus Boianowski.

a) *in margine.*

b) *sequitur expunctum:* facile

z) *sic in ms.*

1) *Ioannes Tarnowski.*

2) *Andreas a Górką.*

3) *Petrus Kmita.*

4) *Martinus Zborowski.*

5) *Nicolaus Radziwill « Niger ».*

6) *Bona.*

7) *Franciscus Lismaninus.*

*Annexum: in tribus foliis novitates « ab extra ».*

*Ab extra.*

Certi nihil, presertim boni, auditur, nisi quod Sanctitas papalis Generalis Concilii reductionem Tridentum publicavit ad primam Maii proximam, bono et pio zelo, omni fraude ipocritica sublata. Quod ex gula Suae Sanctitatis, quam in hoc negocio divulgavit, aparet. Ubi, inter cetera, hec verba:

Nos, inquit, per Legatos nostros (si nobis ipsis per etatem<sup>a)</sup> et valitudinem<sup>b)</sup> vel Sedis Apostolice<sup>c)</sup> neccessitates, adesse non licuerit) huic Consilio<sup>z)</sup> presidebimus<sup>d)</sup> etc.

Item ex Hungaria varii sunt rumores et scripta affirmancia Caesarem Carolum, cum fratre Ferdinando, pro triennali pace misisse ad Turcam. Qui respondit se pacem daturum ea condicione, ut illi non resistant, cum ipse reliquam Ungariam, nempe Transilvaniam et id totum, quod nomine Regis Ioannis filii<sup>1)</sup> et matris<sup>2)</sup> eius possidebatur, ad obedientiam sibi reducat et castiget, ut suos subditos. Sed hic Legatus nondum rediit. Interim vero adfertur alia fama: venisse Legatum a Rege Persarum<sup>3)</sup> ad Caesarem Carolum. Qui refert suum Dominum magnas victorias in Turcas obtinuisse plurimumque eius Imperii possedit, admonens et rogans, ne cum Turcis foedera ineat, sed ex parte sua, quantum potest, opugnet, dicens Regem suum ita facturum, quod potentiam Turcicam ad priores suas sordes<sup>z)</sup> redire sit neccesse.

Item Regem Ferdinandum Viennam venisse cum maioribus filiis suis, exercitum et alia bello neccessaria ad Hungariam defendendam parare. Sed et nuncium nuper accepisse, quod Turca ex Adrnopoli<sup>z)</sup> quo iam versus Hungariam tendens pervenerat, Constantinopolim rediit, audita clade filii sui, quem contra Persas cum validissimo exercitu miserat.

Item Caesarem aiunt aliqui ad Concilium iturum, quod non facile

creditur. Aliqui vero scribunt Wormaciam eum iter parare, quieti et curande valetudini se daturum.

De Maydeburga miramur omnes, quid fiat et quibus auxiliis stet tam constanter, et quid sibi velit obsidio, que pocius custodia posita dici possit, quam oppugnacio, presertim cum obsessi tam crebras illasque foelices erupciones faciant, si ad nos vera perferuntur.

Item ex Italia scribitur Cardinalem Farnesium,<sup>4)</sup> nepotem Pauli III Pape, magne autoritatis et facultatis hominem, e Roma clam in Galliam aufugisse. Que res modernum Papam,<sup>5)</sup> cum sua faccione, perturbavit. Cui, ut homini scelerato, omnia sunt suspecta.

- a) *hoc verbum in textu littera a signatum est, et in margine:* a. per etatem nuperri me licuit illi sceleratis artibus papatum ambiare (*ultima duo verba linea subducta sunt*).
- b) *verbum: valetudinem in textu littera b signatum est, et in margine:* b. potuit tacere
- c) *singula verba: Sedis Apostolice necessitates in textu littera c signata sunt, et in margine:* c. O audaciam! Quasi vero Sedis Apostolice ulle necessitates Generali Concilio maiores esse possint etc.

d) *verbum in textu littera d signatum, et sub textu:* d. presidebitis? et pars et iudei?

- z) *sic in ms.*
- 1) *Ioannes Sigismundus.*
- 2) *Isabella.*
- 3) *Tahmasp I Sophi.*
- 4) *Alexander.*
- 5) *Iulius III.*

N. 1224.

Cracoviae, 11.IV.1550.

Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,

Alberto in Prussia duci

refert de Comitiis proxime congregandis deque nuntiis ad ea eligendis; de reginis Bona et Barbara; de Stanislai Hosii actis in rebus Gedani et Imperii; de Turcis, Tartaris, Valachis, Moscovitis, Persis; de morte Stanislai Łaski.

Sigill.

(Annexum: Nova ex Roma de 7.II.1550)

H B A, B 2, K.379.

Illustrissime Vestre Dominacioni, cum suis omnibus, omnia foelicia et iucunda ex animo precor.

A medio fere Februarii nullam certam oportunitatem scribendi habui, incerte autem litteras credere non ausus fui, mutus hoc toto tempore.

Sumus nunc omnes Poloni, una cum Rege, inter spem et metum, de progressu et exitu Comiciorum Regni, pro IIII Maii Petrikovie indictarum,<sup>2)</sup> solliciti. Verentur enim, ne huius vel illius faccionis affectibus praepropere, infectis rebus, dissolvantur. Cum multi sint, qui Reipublice tranquillitati sedulo studeant veteremque libertatem et leges salvas cu-  
piant, sunt deinde non pauci, qui nova et insolencia quedam introducere tentant, absolutam potestatem in omnia cupientes. Que si alioqui rarissime bona contigit propter hominum, maxime vero prefectorum, imperfectionem, que et qualis nunc esset, in hac nostra fragilitate, non esset difficile ominari. Sed absint mala omnia atque ad meliora convertamus. Gaudeo enim (semel in vita) mihi bonum scribendi argumentum oblatum esse, et est hoc.

Ab annis triginta, quantum ego memini, temporibus autoritatis Christopheri Schidlowieczki, Petri Tomiczki, deinde Ioannis Choienski, Petri

Gamrat Episcoporum, et ceterorum, inicio omnium Comiciorum Regni omnes dyabolas, ex omnibus plagis mundi infestos, in nos ruituros nobis minabantur. Cum interim non multum mali ex hoc accidebat. Nunc ad istas nostras Mayas Convenciones omnia pacifica (diis gracia) et omnes habemus amicos, de quibus infra. Nunc aliquid aliud absolvam. Particularibus Comiciis, intra quinque dies futuris in palatinatu Cracoviensi, Castellanus Cracoviensis,<sup>1)</sup> et Maiori Polonia, Posnaniensis<sup>2)</sup> et Calisiensis Palatin<sup>3)</sup> non sunt interfuturi. Aberit quoque a Sędomiriensi illius Castellanus, aegrotus sive unctus, Petrus Zborowski (unser littischer gutter hoffmaster). Et sic in tribus primariis terris nemo fortasse erit, excepto Episcopo Cracoviensi,<sup>4)</sup> nisi pars illa, que pro Republica stare dicitur. Eligerent itaque Nunccios ad Generalem Conventum, sibi similibus studiis. Sed ego adfuturum Castellatum Cracoviensem existimo, quamquam aliter scribat. Qui, etsi tumultus aliquos nobilium subverebatur, verebatur tamen magis, ut credo, ne sibi et suis studiis infesti Nunccii elegantur. Quod tamen, eciamsi absit, vix prohibebit, ita sunt adhuc animi multorum inquieti.

Item Regia Maiestas ultima huius, ni fallor, hinc versus Petrikoviam exhibit.<sup>2)</sup> Que quidem tam ardententer amat, quod apud me non sit possibile absenciam ab ea ferre posse. Dicebatur hic nuper Reginam Bonam in Sulieow aut Vittow, monasterio utroque prope Petrikoviam, diversoram esse. Deinde mox spargebatur Reginam Barbaram in tale divisorium eam anteverttere debere. Nunc rursus dicunt mansuram Cracoviae. Cum tamen omnibus eius aulicis mandatum sit, ut quilibet equos, quos tenetur habere, non negligat pro tempore suprascripto, deliberare itaque adhuc videntur.

Nunc ad illa bona nova revertor. Cum huc Nunccius Gedanensium venisset, eodem fere tempore venit et Doctor Hosius, retulissetque nomine Gedanensium Cesarem parare classem, huic nostro septentrionali mari aptam, et ita vereri, ne quid contra Prussiam fieret. Quod quidem reffellere vel eludere volens, Nunccius Regis Romanorum, Mathias Kernchen, qui huc cum Hosio Doctore venit nobisque litteras foederum a Caesare et suo Rege attulit vicissimque nostras accepit, dixit se nequam posse credere, ut Imperator contra fidem suam quidquam faciat. Sed si quid erit tale, contra Bremam et Maideburgam etc. futurum est. Neque ego puto Caesarem nos aggressurum esse. Doctor enim Hosius huic rei bene occurrit omneque periculum Polonis amovit, nisi forte ex occasione propinquitatis, si Maideburgam usque veniret (que tantum 30 miliaribus a finibus Polonie distat) adfferre Interim duci Prussiae velit, in cuius negocio amphilogiis quibusdam Iudam fortasse sepeliverunt. Doctor Hosius quoque nos securos esse suadet. Nec desunt qui dicant Gedanenses hac arte stratagema introduxisse, ut frumentum minoris emant. Et sunt qui hoc facile credunt. Securi itaque ac tuni ex illa parte sumus in utramque aurem.

Item apud Cesarem Turcarum<sup>5)</sup> Nunccium nostrum Boguski<sup>6)</sup> exceptum, tractatum et absolutum esse bene, amice et honorifice, federa confirmata, dona data, sed nescio: Regi-ne vel soli Nunccio.

Item Tarfarorum, qui nos autumno inviserunt, Nunccius huc venit, culpam deprecatur, federa vult servari. Dicit nostros causam legittimam illi incursioni dedisse. Vult tamen tempestive scire, amicosne an inimicos nos sint habituri. Vult preterea, ut tributum, quod illis datur, maius fiat.

Item Valachorum quoque Nunccio salvus conductus missus est, qui itidem debet eorum incusionem, primo vere factam, diluere, causam eciam in nostros reicere federaque servare velle ac confirmare.

Item Moskovite sunt amici confoederati, quamquam multi nos mo-  
neant (et ipsi eciam Tartari), ne Moskovitis secure credamus.

Item Dominus Castellanus Cracoviensis dicit, quod Turcarum Im-  
perator Regem Persarum<sup>7)</sup> subegerit. Alii dicunt, quod ad vitas suas  
invicem sunt confederati. Nec mirum esset Regem Persarum hoc facere,  
eciam si non cogatur, cum videat christianos Principes non Turcarum,  
sed christianorum iugula petere. Sed quidquid horum esset, idem fortasse  
nobis. Nec facile dijudicari potest, an hoc in rem nostram sit necne, in  
hiis pestiferis et furiosis studiis Regum christianorum.

Porro fuit nunc (vel adhuc est) Nunccius Turcicus Vienne apud Re-  
gem Romanorum, postulans, ut foedus, quod adhuc ad unum, ni fallor,  
annum durat, ulterius proerogetur. Quod huic Regi per totam vitam, si  
verum est, non contigit, qui foederis eiusmodi prorogacionem in Caesa-  
rem et Ordines Imperii (si qui sunt preter sacerdotes) reiecit. Affirmat  
enim Turcarum vires a Persis validissime esse diminutas. Hec bona nova  
apud nostros affirmantur.

Item Ordam Tartarorum Nohiska magno conflictu Moschkovitas  
viciesse. Sed iam diuci versor cum Tartaris. Veniamus ad Papam Iu-  
lium III, maiorem natu fratrem eorum, de quo iam plurime laudes  
scribuntur, cum tamen sceleratissimus Cardinalis haberetur, homo pri-  
mum atheos et omni genere libidinum (preter naturalem) Reverendissi-  
mus. De quo et Episcopus Cracoviensis ita loquutus est nuper: Iam  
certe tempus est, ut eligatur Papa. Auferat modo Deus, ne fiat Cardinalis  
de Monte, sive de Montu, quod est malus homo ille, semper restitit,  
omnibus viribus, ne Concilium fieret. Habet annos 62, podagras et chir-  
grae nodosis obnoxius. Sed nolo hic circumstancias eius describere po-  
ciusque hec scripta mitto, ex quibus (quamquam sub obscuris) Illustris-  
sima Vestra Dominacio intelliget, contra omnes imperialium machinacio-  
nes, mira arte Gallicarum parcium esse hominem. Mitto preterea hos  
articulos, in quos Sancti Patres Carnivales iuraverunt. Hic eorum Pa-  
ternitates Romanissime possunt gloriari se tam ardue de Republica  
Christiana sollicitos<sup>2)</sup> esse. Quid enim aliud est ibi, quam veteres eorum  
artes et fastus, preter fucum et colorisatum pharisaismo Concilii stu-  
dium, quod illi ita cupiunt et amant, ut capra lanium?

Item redeo parumper ad nostra. Mortuus est nuper vir magnus,  
Stanislaus Laski, Palatinus Siradiensis, homo omnibus Regni incolis  
(eciamsi sua cuique via cibis tribuantur) vehementissime desyderandus (pre-  
sertim in hac hominum raritate), si fatalis necessitas et voluntas Dei  
perpetua aliud non suaderet. Rei enim militaris studio vix duobus in toto  
Regno postponi possit, linguarum vero pericia eloquutioneque presenti  
facile nemini secundus, ut alie dotes exercitiumque (intra et extra Re-  
gnum) taceantur. Sic transit gloria mundi, affirmabat ipse toto hoc anno,  
et post mortem plurimi, eciam medici, dicunt intoxicatum fuisse mense  
Decembri, anno 1549, in Convacione Petrikoviensi.

Item memini illum apud Illustrissimam Vestram Dominacionem pec-  
cuniam mutuo peciisse meque, ut pro eo scriberem, impulisse. Sed quid  
esset postea factum, nescio. Quod si aliquid tale esset, suaderem, ut in  
tempore agatur, quod ad rem pertinet.

Item mortuus est eciam gener Regis Romanorum, Dux Mantuae,  
admodum iuvenis.<sup>8)</sup> Gravidam relictam esse quidam dicebant, aliqui ne-  
gant. Sunt duo, ni fallor, fratres eius minores.

Ex inferiori Germania multa scribuntur nullius vel parvi momenti,  
que pretermitto. Hec inter cetera affirmantur: Reginam Mariam quodam  
vespere publico edicto Antverpiae mandasse, ut in crastino (ad certam

horam) nemo in platea vel in fenestra apareret sub pena capitis. Interim autem omnes monachi ex claustru Augustiniano ablati sunt et in arcem 2 miliaribus ab Antverpia, carcerem scilicet criminalium, abducti, ob professam idque satis obscure veritatem. Item Ioannem Calvinum in quodam opido (versus Argentinam tendentem) captum iussu eiusdem Sanctae Mariae, exustum.

Item Philippum, Cesaris filium, in gynecio Mariae ardentissime amare Comitem de Waldek atque ter in hebdomada (ob Quadragesime reverenciam) tantum ad 12 horam noctis saltare et procari. Item eundem brevi Neapolim iturum indeque in Hispaniam. Plura nunc non scribo, properacione Nuncii impeditus. Per aliam autem occasionem spero me aliquid scriptu dignum missurum. Allatus enim est hodie fasciculus litterarum ex aula Caesaris, ubi meas quoque inclusas Nuncius dicit. Sed eas hodie habere non potui..

Craccovie, 11 Aprilis 1550.

Stanislaus Boianowski.

2) *sic in ms.*

1) *Ioanes Tarnowski.*

2) *Ianussius Latalski.*

3) *Martinus Zborowski.*

4) *Samuel Maciejowski.*

5) *Solimanus II.*

6) *Nicolaus Bogusz (vel Bohusz).*

7) *Tahmasp I Sophi.*

8) *Franciscus III.*

#### Annexum:

E Roma 7 Februarii.<sup>a)</sup>

Paucis ante diebus dicebatur Reverendissimum Cardinalem de Guisso<sup>b)</sup> 1) habuisse in sufficientissimis mandatis a suo Principe, Christianissimo Rege Galliarum,<sup>2)</sup> quandoquidem denegabatur assensus unanimis Reverendissimorum, Imperatoriae Celsitudini adherentium, Reverendissimo Salviati,<sup>3)</sup> quod penitus Reverendissimo Ioanni Mariae Episcopo Prenestinensi de Monte, Legato ad Concilium Bononiae Aretino, cum caeteris aliis incunctanter et ultro consensum, quomagis Pontifex crearetur, prae-staret, proque conflandis multorum Imperialium et Italorum animis tenderet, prout strenue effecit. Inprimis enim dimisis ab Imperatore nominatis, aiunt Reverendissimum Farnesium<sup>4)</sup> proposuisse hunc ipsum Reverendissimum Monte, Gallis impensius affectum, vicissim et ecclesiasticis. Francigene prima facie renutum praetendebant, scientes adfutura compluriora vota. Postmodum suas omnes voces in ipsum simul<sup>c)</sup> contulerunt, ab Imperialibus haud aucta approbatave.

Denique heri bonis auguriis idem Reverendissimus Guisso cepit Reverendissimum Farnesium alloqui. Iam hercle vehementer in hoc obscuru et foetido carcere conclavis moras ulteriores tolerare nequimus, cogemur equidem, inquit, fato concedere vel invititis vobis exitum pertentare. Consultissimum nempe esset, ut sine mora<sup>d)</sup> efficacia deligi Reverendissimus Monte possit, cui accumulate omnes voces tradimus, tantummodo Tua Paternitas hoc idem faciat, nulla penitudine, immo certa spe restitutionis Parme commemoranda. Iusserat igitur celebrari scrutinium Reverendissimus Farnesius, atque omnibus sibi propiciis, vota Reverendissimo Monte concedere, quemadmodum ab illis et a Gallis factum fuit heri hora noctis secunda, cum statim proclamatum ab omnibus de creato Pontifice Reverendissimo Monte extitit. Quidam tradunt quinque a Gallis et totidem ab Imperialibus nominatos fuisse, ex quibus hunc unum Reverendissimus

Guisso proponens et Reverendissimus Farnesius consciens legerunt Maximusque Pontificem creaverunt.

Qui utinam sit commodus et Ecclesiae Dei utilis, ex quo astrictus iuramento ad singula haec capitula tenebitur. Iam tandem hodie, infinita prospectante hominum frequentia, portari novum Papam ad Basilicam Sancti Petri vidimus. Apparet certe adnatam sibi esse summae virtutis ac prudentiae speciem,<sup>e)</sup> quibus religionem Christi retinere et augeri<sup>z)</sup> deberet. Datur sibi honos gubernii, dum Legatum Romanum Bononiae ageret, hic maiores lucrari a Deo adiutus poterit, supra omnia Regna Principatum obtainens. Agit annos 62, chiragrae et podagrae nodosis obnoxius. Quo pacto autem Imperator de ipso contentabatur, brevi experiemur, dum adhuc Reverendissimus Augustanus,<sup>5)</sup> Tridentinus,<sup>6)</sup> Pacecco cum duobus aliis, inosculatis Suae Sanctitatis manibus, de gremio Reverendissimorum recesserunt, maxime Reverendissimo Tridentino summopere heri contra Farnesium inclamante et protestante, quod hunc delegerit, Deo propicio, laudatissimum, postquam accepto nomine Iulii Tercii illum Sanctissimum Iulium Secundum<sup>f)</sup> in virtutibus emulari conabitur. Paulum olim Pontificem Summum sex decem millia solum pro aedificiis et Fabrica Ecclesiae Sancti Petri audivi reliquisse. Hic vero novus Iulius III commeatum et frumenti copiam pro viginti millibus scutorum in abundatioribus Italiae locis cohemi et huc advehi heri mandavit, subito cum creatus sive electus est.

Gubernator Urbis perhibet 630 homines hoc Interregni tempore octisos esse, licet in sceleratos severissime animadvertisatur.

#### Capitula Conclavis MCCCCCL<sup>0</sup>.

Nos, omnes et singuli, Episcopi, Praesbiteri et Diaconi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales infrascripti, pro bono et foelici regimine atque conservatione status Universalis<sup>b)</sup> Ecclesiae iuramus et promittimus, quod si ex nobis aliquis electus fuerit in Papam, statim post electionem de se celebratam iurabit et promittet pure et simpliciter et bona fide servare et servari facere cum effectu omnia et singula infrascripta capitula continentia, quot erunt Cardinales in electione Pontificis presentes, manu propria signabit. Necnon infra tres dies post coronationem ipsam dabit tot bullas capitula prefata continentis, quot erunt Cardinales in sua coronatione presentes. Quae capitula sunt, quae sequuntur, videlicet:

In primis, quod Sacrosanctum Concilium Universale pro haeresibus extirpandis et pro Universalis Ecclesiae reformatione omni studio et diligentia prosequetur ac, ut ad optatum finem perducatur, procurabit.

Item quod omnem reformationem, quam per dictum Concilium, per canonicas sanctiones et Sanctorum Patrum decreta fieri contigerit, omnino ratum et gratum habebit ac sua Summi Pontificis auctoritate probabit et confirmabit.

Item quod, quantum in ipso erit, interim curabit idque ad omnem Sacri Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegii, vel ab eis ad id deputatorum, qui ex nunc nominabuntur, requisitionem, ut Curia Romana reformetur, quodque ipsi deputati statim...\*)

Item quod super omnibus et singulis capitulis praecedentibus eorumque executione, tam coniunctim quam divisim, cum omnibus et singulis clausulis, decretis et mandatis necessariis et opportunis ad libitum partium, quas praemissa concernent, tot, quot partes esse voluerint, litteras Apostolicas dabit.

Item quod omnia et singula praemissa ratificabit ante publicationem

electionis sua, ut praefertur, mediante commissione, iuramento et subscriptione sua in hanc formam:

Et ego N. Electus in Summum Pontificem, praemissa omnia et singula promitto et iuro observare et adimplere in omnibus et per omnia pure et simpliciter et bona fide, realiter et cum effectu ad literam, sine aliqua exceptione verborum. Ita me Deus adiuvet et per haec Sancta Dei Evangelia.

Nos vero idem, omnes et singuli Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales infrascripti, congregati Romae in Palatio Apostolico pro electione Romani Pontificis futuri in conclave ante altare, in quo missa communiter celebrari consuevit, suprascripta capitula inter nos unanimiter et concorditer ordinata, pro defensione catholicae fidei et ecclesiasticae libertatis, pro reformatione Ecclesiae ac vinculo charitatis et pacis inter Summum futurum Pontificem et fratres eius, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, confirmando iuramento ad Sancta Dei Evangelia corporaliter per nos facta, alter alteri promittendo, et Notariis publicis infrascriptis, tanquam personis legitimis, nomine Sanctae Romanae Ecclesiae et Sacri Collegii nostri ac ad omnium,<sup>2)</sup> quorum interest, stipulantibusque<sup>2)</sup>, quod quicunque nostrum, qui fuerit assumptus ad apicem Apostolatus, omni dolo et fraude, machinacione cessantibus et omni prorsus exceptione remota, servabit et adimplebit omnia et singula in capitulo contenta, nec illis aut alicui illorum contraveniet directe vel indirecte, publice vel occulte. Quodque post electionem et ante publicationem omnia et singula prefata, ut prefertur, confirmabit et approbabit autentico modo et de novo puram commissionem faciet, et per viam contractus in omnibus et per omnia, coram omnibus nobis et Notariis et testibus, in subscriptione manu propria.

- a) manu Stanislai Bojanowski.
  - b) in textu verbum Guiso littera a signatum est et in margine manu Bojanowski: a. Cardinals de Loreno sive Lotringen.
  - c) supra lineam.
  - d) verbum in ms. correctum.
  - e) speciem in ms. littera b signatum est et in margine manu Bojanowski: b. speciem certe, non ipsam virtutem
  - f) Secundum in ms. littera c signatum est et in margine manu Bojanowski: c. Si loco dicit, bene.
  - g) Universalis in ms. littera d signatum est et in margine manu Bojanowski: d. ventris sui
- z) sic in ms.
- 1) Carolus de Guise.
  - 2) Henricus II.
  - 3) Ioannes.
  - 4) Alexander.
  - 5) Otto Truchsess.
  - 6) Christophorus Madruzzo.
- \* propositio carere videtur conclusione.

N. 1225.

Srzeńsko, 14.IV.1550.

Felix Srzeński, palatinus Plocensis,  
Alberto in Prussia duci

ut omnis fomes querelarum et iniuriarum, ob non determinatos et recognitos fines inter Ducatus Prussiae et Masoviae utrinque illatarum, amoveatur, suadet, ut dux hac in re ad regem scribat; nobilem Iacobum Choromański commendat, qui contractum de piscibus coemendis ex lacubus, stagnis et fluminibus cum quibusdam praefectis castrorum ducis inire cupit.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.379.

N. 1226.

Cracoviae, 22.IV.1550.

*Jacobus Przykuski, notarius castri Premisiensis,  
Alberto in Prussia duci  
gratulationibus de matrimonio sibi missis gaudet; mittit aliqua nova ex  
Podolia et de negotio religionis in Comitiis repurgandae.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.379.*

Illustrissime Princeps, etc.

Quod Vestra Illustritas litteris suis gratulatur me sacro dedisse matrimonio, non solum mihi benevolentis Domini, verum etiam christiani Principis argumentum de se praebet. Etenim et me ira divina hac parte liberatum et caelum Romanorum coniurati eruptum esse civem gaudet. Erit hic Vestrae Illustritatis calculus omnium opum instar, Christus autem certo non deerit, qui aquas nostri matrimonii mutat in vinum, quum venerit hora eius. Qui quidem ut Vestram Illustritatem clementer visitet, diutissime sospitet et pulchra itidem faciat prole parentem, precor ab animo.

Russiae oras tam a Valachorum, quam a Scytarum incursionibus, speramus hoc anno pacatas fore. Scytarum enim Legatus nuper Sacram Maiestatem Regiam ad foedus simulque ad conditiones foederis patrias hortabatur. Valachus autem iussu Turcae, non suapte sponte, impressio nem se fecisse significavit. Ad haec hodie Dominum Bogusz iam Came necii esse audivi. Quid serus vesper vehat, alicunde in manu Dei est.

Religionis in Comitiis repurgandae datum est a nobilitate omnibus fere provinciarum legatis negotium ita, ut Iustificationis articulus a monachorum et purgatorii deliriis vindicetur, calix sanguinis Domini populo pro aqua, coniuges autem sacerdotibus restituantur pro concubinis. Quae si evincere non poterint, decimas istis equis demere volunt, ut fame<sup>a)</sup> domiti resipiscant, neque recalcent...

<sup>b)</sup> Datum Cracoviae, feria 4 ante ferias Adalberti, 1550.

Vestrae Illustrissimae Dominationis  
servitor ac mancipium fidele  
Iacobus Prilusius, Notarius Castri Praemisiensis.<sup>c)</sup>

a) in ms. famae

b)-c) manu propria.

N. 1227.

Cracoviae, 24.IV.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de articulis in proxime futuris Regni Comitiis tractandis; de regina Barbara Cracoviae mansura vel in Sulejów profectura; de regina Bona Petricoviam iter factura; scribit praeterea novitates ex aula imperatoris et ex aliis regionibus.*

*Sigill. Autoogr.*

*H B A, B 2, K.379.*

Illustrissime Princeps.

Misi litteras Illustrissimae Dominacioni Vestrae 11 huius, ad manus Domini Ioannis de Werden. Quas non dubito eam accepisse. Quibus pro-

misi quedam ex aula Caesaris, et que interim accidissent in rebus nostris, scribere. Sciet itaque Illustrissima Vestra Dominatio Polonus iam tandem, in omnibus Conventibus particularibus, ad quieciora consilia descendere, ita tamen, quod aut iugum sive fustem, aut saltem auriculas asini in capitibus suis relicturi esse videantur. Negocium matrimonii regii, superiorum Comiticorum Regni caput, quasi desperatum et negligendum inter postrema nunc ponunt. Nec plus de eo agere velle videntur, quam ut statuto generali de futuro caveatur, ne quis Regum Poloniae, sine scitu et voluntate omnium Ordinum Regni, uxorem ducat. Et ne ista Domina Barbara coronetur. Primum facillime, ut credo, impetrabunt, sed hoc secundum sedulo nos curaturos et illos tandem concessuros non dubito.

Omnibus autem reliquis veteribus articulis, preter morem, articulum de religione christiana et insolencia sacrificorum preposuerunt. Que si in disputationem venerint, magnas sine dubio contenciones in longum tempus adferent. Sumus itaque in expectacione magnarum turbarum in hoc Conventu. Nam preter clerum, qui suis artibus omnes conatus bonos eludere studebit, odia Senatorum et eciam nobilium inter se, omnia bona consilia remorabuntur Regiamque Maiestatem, quasi navem in mediis fluctibus, discordes remiges habentem, perturbabunt. Nam et hodie ex Conventu Nove Civitatis, qui post particulares<sup>c)</sup> omnibus palatinatibus Minoris Polonie instituitur, tres nunccios habuimus, qui Regie Maiestati gracias egerunt, quod cura Reipublice affectus Comicia Regni indixerit, suas eciam voluntates promptas et subiectas ac fideles obtulerunt et commendarunt. Deinde rogarunt Suam Maiestatem, ut nullum insolitum comitatum Petricoviam secum ducat, ad et inter suos fideles subditos venturus, dicentes se non vanis authoribus accepisse, quod 4000 equitum conductorum ad Conventum Regni sint ventura. Quos quidem equites, rogarunt, ut Sua Maiestas ad fines Regni ab incursionibus defendendos pocius mittat, sicut debitum et officium eius regale exigit, ut interim Sua Maiestas, una cum aliis Ordinibus, secure et pacifice Rempublicam tractare atque hos tam periculosos internos motus sedare possit.

Responsum est<sup>b)</sup> illis Regiam Maiestatem grato et equo animo talem eorum admonicionem ferre. Sed postquam liberum sit omnibus Regni incolis, quocumque velint, comitatu venire, non dubitat Sua Maiestas<sup>b)</sup> itidem illi, pro sua autoritate et dignitate regia, licere. Quare, ut ei libitum fuerit, est profectura. Sed expressum est interim Suam Maiestatem non nisi cum equitibus aulae suae, et qui eam sequuntur, ituram.

Item egressus regius ab ultima huius ad 2 Maii dilatus est. Regina sive Domina Barbara, ut audio, Cracovie manebit. Nescio, quam diu. Parantur enim hospicia in Sulieow monasterio pro sua pudicicia. Exspectare enim videmur primos actus Convencionis Regni, ex quibus de adducenda (vel tediosissime desyderanda<sup>c)</sup>) nostra Domina consilium inibimus. Ego vix credo absenciam eius nos ferre posse, tam diuturnam, qui hic ne per medium quidem horam aspectu eius carere possumus.

Item Reginam Bonam, una cum sororibus regiis, versus Petrikoviam 10 Maii egressuram esse accepi. Quam unum abinde miliare credo hospicium habituram, in Vittow scilicet aut Gomolin, villa Capitanei sui Wielunensis. Sed an bene a nobis una cum suis tractabitur, videbimus.

Item de Domino Castellano Posnaniensi<sup>1)</sup> audio, quod vult adventum Regiae Maiestatis Petrikoviam anteverttere. 2 enim aut 3 Maii venturus eo dicitur, Regia Maiestas vero 5, ut nunc scimus. Plura, que scriberem, nostracia non video.

Ab aula Caesaris mihi scribitur Suam Maiestatem a festo Andree ad medium Quadragesime (et postea nescio quam diu) ex conclavi non pro-

dire, gvaiaco et interdum aquis quibusdam (et presertim de radice Chianae) podagrae suae et capiti catarrossissimo consulentem. Scribitur preterea mihi Conventum Imperii ad 25 Iunii Auguste indictum esse.

Item Galliae et Angliae Reges<sup>2)</sup> de pace et amicicia inter se agere, exercitibus dimissis. Quod Cesarem non obscure male habet.

Item Seczigniewski Iacobus, Cesaris aulicus factus, mihi scribit Regem Galliae, quoad fieri possit, pacem et collectionem nummorum ad mortem usque Cesaris Caroli sibi proposuisse, futurum sperans, ut Philip-pello filio omnia posthac eripiat, que ita pater paravit. Carolum vero curare, ut bonis consiliariis et militibus veteranis ac maxima vi auri Philippo provideat, cogitans preterea in vita adhuc semel, sed bene et serio, Gallos adoriri. Quod quidem, si a iugulandis reliquis christianis ocium supererit, facturum eum non dubito. Scribitur enim, quod Rex Galliae, sciens Imperatorem per omnes vias peccuniam querere, provenitus suos oppignorare etc., fecit pactum cum mercatore Antverpiensi Casparo Duicz, homine ditissimo ob hocque magnam et fortasse primam in urbe fidem habente. Qui omnes maiores mercatorum summas, partim nomine cambii, partim aliis eorum artibus, ad se pertraxit atque ita in Galliam transfugit. Quo facto Caesar vehementer commotus est. Tendebat enim et ipse illis summis retia. Nunc, si verum est, non solum, quod ipse non habet, dolet, sed eciam, quod hostis habeat, angitur. Iam pro iusticia ad Gallos mittunt, qui medium ostendent digitum, ut est verisimile.

Item eam classem, quam Caesar iam pridem parare cepit, in Schcottiam Galli ituram metuunt. Potitur enim (ut scribunt) Rex Galliae rerum Scotticarum, immo vero contra Maideburgam et ceteras urbes. Item scribit nos, Polonus,<sup>b)</sup> in aula Caesaris levissime et sordidissime reputacionis esse, quamquam hoc nostri practici diligenter dissimulent nosque illuc semper supplices esse suadent.

Item Caesar Comendatorem de Aliatara,<sup>3)</sup> Luis de Avila, et filius eius Praefectum suorum satellitum, Comitem de Feria, ad obedientiam Sanctitati papali prestandom miserunt. Quo exemplo Episcopus Craccoviensis<sup>4)</sup> Regem urget, ut similiter faciat. Quod Rex tamen differre aut eludere cupit atque ad Comicia reicit. Sed vincet Episcopus.

Item Seczigniewski iste Illustrissimae Vestrae Dominacionis studiosissimus est et mihi coniunctissimus, cupid per omnes occasiones Illustrissimae Dominacioni Vestrae inservire. De quo, ut ego meam sentenciam dicam, aptissimus esse videtur, qui Illustrissimae Dominacioni Vestrae ex illa aula res maioris momenti significet, sive per meas manus, sive alio quopiam secreto modo celatoque nomine Illustrissimae Dominationis Vestrae. Hispanisat enim non infoeliciter proptereaque admittitur, ubi alia de nacione non facile pervenient homines, et habet mentem christianam et fidelem.

Item in secreto habui scriptum ex aula Mauricii Electoris Principis, quod nuper illuc vocatus fuit et ante 3 dies reversus Stanislaus Czikowski, qui cum Duce illo de educendis equitibus Polonis non convenit. Querentes enim modum distrahendi contractus, quem hic Craccovie in Ianuario cum Fabiano Schenech,<sup>5)</sup> nomine praedicti Principis, fecit, obtulerunt ei educendorum 2000 equitum modos intolerabiles, quos ille acceptare nolens, soluto contractu abiit. Sed hoc ad nos rediens dissimulat quam potest diligentissime. Humaniter tamen dimissus et munusculis honestatus est.

Item de oppugnacione Maydenburgensi nihil adhuc certi Principes illi sciunt. Sed veniunt a Caesare et Rege Nuncii, cum quibus Principes

Electores et ceteri in Gitterbach, oppido episcopali, convenire et conferre atque certi aliquid in hoc negocio brevi concludere debent. Item de constancia Maydenburgensi mira dicuntur...

Craccovie, 24 Aprilis, 1550.

Stanislaus Boianowski.

a) *in margine.*

b) *supra lineam.*

c) *in ms.: desyrandia*

1) *Andreas a Górką.*

2) *Henricus II et Eduardus VI.*

3) *recte: Alcantara.*

4) *Samuel Maciejowski.*

5) *recte: Schönaich?*

N. 1228.

Cracoviae, 25.IV.1550.

*Samuel Maciejowski, episcopus Cracoviensis et R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
in curando negotio a duce sibi commendato apud regem omnem operam  
se adhibuisse significat.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.379.

N. 1229.

Hamburgi, 25.IV.1550.

*Ioannes Łaski  
Alberto in Prussia duci  
de litteris a duce Alberto et a regibus Angliae et Poloniae a se acceptis;  
de bello inter reges Galliae, Angliae et Scotiae composito.*

*Sigill. Autoogr. (partim in ciphera)*

*Iam ed. Kuyper II, p. 638.*

H B A, B 2, K.379.

*Illustrissime Princeps etc.*

Iam ante tres hebdomas hinc solveram, sed ter rursum gravissimis tempestatibus repulsus, ad haec febre etiam correptus coactus sum redire cogorque haerere adhuc nonnihil, donec vires rursum utcunque colligam. Video autem Deum haec ita egisse omnia pro sua misericordia. Nam simul atque huc redii, accepi literas et a Tua Celsitudine Illustrissima<sup>a)</sup> et ex Anglia et ab Rege Poloniae,<sup>b)</sup> quas dudum alioqui expectabam. Quae mihi etiam suppeditant argumentum scribendi ad Tuam Celsitudinem, nisi quod valetudo multa scribere non sinit. Sed antequam ad alia veniam, primum gratulor Tuae Celsitudini de novis nuptiis. Et Deum precor votis ardentissimis, ut eas faustas ac foelices esse velit largiaturque Tuae Celsitudini eam benedictionem, ut videoas genitos ex lumbis tuis haeredes tuos, senectutis demum tuae dulcissimos baculos. Amen.

Porro quod ad Gallicum, Anglicum et Scoticum bellum attinet, id scribitur certo compositum esse. <sup>c)</sup> Optio est apud filiam Scotiae,<sup>1)</sup> ut, cum adoleverit, possit nubere sive Regi Angliae,<sup>2)</sup> sive Delphino.<sup>d) 3)</sup> Quod si <sup>c)</sup> nubat Delphino,<sup>d)</sup> tum dabitur <sup>c)</sup> ipsi Regi Angliae aut filia aut consobrina Regis Galliae.<sup>d) 4)</sup> Interim <sup>c)</sup> Angli tradunt Bononiam<sup>5)</sup> ipsi Regi Galliae et accipiunt sex centa milia coronatorum,<sup>d)</sup> ut publicatum est. <sup>c)</sup> Sed re vera non amplius, quam centum milia.<sup>d)</sup> Ceterum <sup>c)</sup> Rex Galliae molitur certo aliquid in Germania per Ducem Wirtenbergensem iuniorum.<sup>d) 6)</sup> Quod quidem puto Tuae Celsitudini cognitum esse. De hoc etiam <sup>c)</sup> conventu Regis Daniae<sup>7)</sup> cum Duce Prussiae et nonnullis aliis<sup>d)</sup> non attinet scribere. Ligna videlicet in silvam ducerem, quod aiunt. Sed invadendus erat certo Rex Daniae, nisi Deus <sup>c)</sup> classem Hispanicam Cesaris mirabiliter dispulisset.<sup>d)</sup> Qua de re ante hyemem adhuc Celsitudini Tuae nonnihil per Bomelium significaram.

<sup>c)</sup> Rex Poloniae ad me scripsit,<sup>d)</sup> sed aliud nihil, quam quod <sup>c)</sup> testatur me nihil unquam apud se contra Cesarem egisse. Noluit tamen neque Episcopus,<sup>8)</sup> neque Castellanus Cracoviensis<sup>9)</sup> eas ipsas literas mittere <sup>d)</sup> ad aulam Celsitudinis Tuae. Quod mihi nescio quid portendere videtur, quod Celsitudo Tua facile secum reputare potest. Et video <sup>c)</sup> Regem Poloniae nihil significasse eorum Episcopo Cracoviensi, quae mihi per Boianovium scripserat, vultque, ut adhuc expectem.<sup>d)</sup> Unde nondum prorsus despero, sed tamen iter meum prosequar volente Domino, ubi paulum modo vires collegero, quas iam, gratia Deo, rursum colligere incipio. Plura iam non possum per valetudinem, tantum me gratiae Celsitudinis Tuae, Domino meo clementissimo, summa cum observantia commendabo. Hamburgi, 25 Aprilis, anno 1550.

Illustrissimae Celsitudinis Tuae  
addictissimus servitor  
Ioannes a Lasco manu propria.

a)-b) *in ciphera, solutum in margine.*

c)-d) *in ciphera, solutum in folio separato.*

1) *Maria.*

2) *Eduardus VI.*

3) *Franciscus.*

4) *Henricus II.*

5) *Boulogne.*

6) *Wirtembergensis iunior; Christophorus? Ulricus?*

7) *Christianus III.*

8) *Samuel Maciejowski.*

9) *Ioannes Tarnowski.*

N. 1230.

Petricoviae, 1.VI.1550.

*Ioannes Policki*

*Alberto in Prussia duci*

*de bobus duci depellendis; de Comitiis non longum tempus duraturis;*  
*de oratore Turcarum nondum expedito et de non grato nuntio ab*  
*oratore Scytharum (Tartarorum) allato; de regina Bona non longe a*  
*Petricovia morante.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.379.*

N. 1231.

Posnaniae, 1.VI.1550.

*Sebastianus Noskowski, vicecapitaneus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
sub absentia Andreeae a Górką, castellani Posnaniensis, litterarum exhibi-  
bitorem commendat, ut ei iustitia administretur cum filii sui occi-  
soribus.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.379.*

N. 1232.

Petricoviae, 2.VI.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de filia ducis in matrimonium sponsa; de conventu regis cum regina  
Bona in villa Gomolin; de Comitiis Regni vix inceptis; de nuntiis  
terrarum in Comitiis tumultuantibus; de negotio religionis; de legatis  
Tartarorum, Turcarum, marchionis Ioannis et regis Ferdinandi; refert  
praeterea novitates ex Italia, ex Germania, ex Austria, ex Hungaria.  
Sigill. Autoogr.*

*H B A, B 2, K.379.*

Illustrissime Princeps.

Habui litteras Illustrissimae Vestrae Dominacionis per Assuerum Brant, ex quibus dubito, an Vestra Illustrissima Dominacio meas habuerit, quas ad manus Domini Ioannis von Verden, 11 Aprilis Craccovie scriptas, misi. Habui deinde paulo post alteras, manu Vestrae Illustrissimae Dominacionis scriptas, per Ioannem Lomillerum, cuius negocia mihi commendata, quantum in me erit, iuvabo. Scribit Vestra Illustrissima Dominacio esse homines, quibus displiceat, quod ea filiam suam<sup>1)</sup> in matrimonium spoonderit, quodque isti talem contractum dirimere studeant. Facillime credo, immo scio, quod illis ex invidia displiceat. Sed quod id dirimere conentur, non video. Neque enim facile possunt, presertim nulla consuetudine cum parte sponsi habita, nisi forte per eos velint, qui prius similia nostra negocia infecerunt quique ad malas artes magis valent, tale aliquid tentare, dum ipsismet non multum ocii et fortasse industrie adsit, quamquam hoc utroque (si alias desint) ad scelera abundare videntur. Sciscitabo itaque paulatim per occasiones, si quid tale fieret atque Illustrissimae Vestrae Dominacioni significabo. Et interea cogito Iacobo Seczigniewski scribere (si Vestrae Illustrissimae Dominacioni videtur consultum), ut cum illo Lessniowski, Cardinalis Augustani<sup>2)</sup> servitore, amiciciam confirmet (celato affectu, quem erga Vestram Illustrissimam Dominacionem habet) atque ex eo, si quid esset, expiscari tentet. Per hunc enim nostros acturos esse non dubitarem. Convenient autem isti Auguste intra dies circiter 20. Neque tamen volo aperte ad Seczigniewski de hac re scribere, antequam a Vestra Illustrissima Dominacione edoctus fuero.

Loquar etiam perendie cum Regina Bona, que mecum plurima garrisire solet, videboque per ambages, an illa tale aliquid senciat. Moratur 1 miliare abhinc a diebus 12 in villa Gomolin. Fuit apud eam Regia

Maiestas 26 Maii. Fuit colloquium circiter 3 horarum, deinde utroque male contento, ut video, discessit. Promisit quidem filius adhuc semel matrem invisere. Que se ante proximum diem solis abituram dicit.

De Comiciis nostris pauca possum scribere, vix enim incepta esse video. Frigere autem mihi omnia videntur, ita ut nihil apposite de illis iudicare possum. Tribuni plebis confirmationem et execuucionem omnium iurium sive statutorum urgent. Regia vero Maiestas, cum non modica vehemens, affirmat se id facturam esse, wom bretth zum bretth. Quod quidem ego hactenus non credo futurum, siquidem hoc plurimorum primi ordinis hominum commoda magna tangit. Regie Maiestati eciam thelonum novum hoc pacto adimeretur, quod facit circiter 60000 florenorum. Sed in ceteris plurimum Sue Maiestati accederet. Nec dubitarem, si se Sua Maiestas legibus submittens, hoc thelonum auferat, quod hoc rursus apud Ordines Regni precibus impetraret idque perpetuo, dummodo hoc exemplo contra ceteros legum praevaricatores legitima reformacio introducatur.

Episcopo Cracoviensi<sup>3)</sup> de sigillo ageretur, postea Palatino,<sup>4)</sup> deinde Castellano Cracoviensi<sup>5)</sup> de magnis officiis. Posnaniensi Castellano<sup>6)</sup> parum haud nihil decederet. Sed mihi hoc longe abesse videtur. Nec adhuc est introductum, nisi cum ceteris in generali, sine nomine.

Inceperant autem tribuni Comicia ab invectiva contra recessum proxime preteriti Conventus Regni (quem me Vestrae Illustrissimae Dominationi misisse memini), asserentes malos Sue Maiestati et patriae consiliarios fuisse, qui hoc persuaserunt. Sapit enim recessus ille interregnū quoddam, inter Suam Maiestatem et subditos summa odia indicans et per hoc hostibus vicinis nos invadendi occasionem (quam tamen non obmiserunt) prebens, Regie persone dedecus inferens, que sic introducitur: Fatemur (inquiens) a nobis erratum esse et cetera. Petebantque, ut publico edicto tolleretur. Responsum est (per authorem recessus) a Rego, quod eum tolli non oporteat, nemini eum nocere factumque id esse bono consilio et exemplo Caesareae et Regiae Romanorum Maiestatum, qui hoc apud suos subditos facere solent. Offense sunt quidem aures omnium bonorum tanta in re evidenti temeritate ac rei indignitate, sed multo magis exempli Cesariani nomine. Vereor itaque, ne aut offensis animis omnium Comicia solvantur, aut ne Respublica claudicare incipiat, idque ad utrumque pedem. Tribuni certe suum officium probe agere videntur. Regia etiam Maiestas malevola Reipublice esse non appetet. Sed similitates et pestifera Senatorum studia contraria, pessima signa boni prebent.

Porrexerant tribuni certos articulos, Regiam personam et eius officia tangentes, sed postquam cognitum est eos inter ceteros articulos eciam de sterilitate (tacent enim iam de honestate) Reginae Barbarae coquere, proiecti sunt articuli in angulum, et responsum, ut omnes simul exhibeant. Quod quidem hodie facere debuerunt.

De religione satis bene sunt instructi animi, ut agant, sed nondum inferunt. Volunt enim prius eas controversias auferre, ob quas proximus Conventus distractus fuit, et sunt magne. Quarum una, ante 6 dies in<sup>a)</sup> medium prolatā, irritavit crabrones. Prohibuerunt enim tribuni iudicia ad Conventum pertinencia, per quod intelligitur Regem nondum esse confirmatum. Metuo tamen ego religioni, dum Samuel Episcopus vivit, ad cuius miram astuciam tanta autoritas et gracia regia accessit. Crederem quidem, si componeremus de precipuis Regni negotiis, quod nec talis Episcopus, qui eciam plurimos hostes habet, nec alius quispiam, illi similis, possit resistere. Sed nunc in hac distractione et tumultu cunctantur et Interim illis paulatim imponitur. Suadent enim aliqui, ad hoc subor-

dinati, a Rege petere, ut Romam mittat, rogans et admonens, ut Papa primo quoque tempore Concilium Generale celebret. Quod si nolit, dicatur, quod Regia Maiestas amplius neque vult neque potest subditos prohibere, ut certi aliquid de controversiis in religione statuant. Hoc fumo cunctabundos alioquin tribunos iterum tractant, et vereor, ne illis persuadeant. Sacrifici enim dicunt, quod differtur, aufertur, hoc in primis metuentes, ne decimae auferantur et similia. Sic enim habent mandatum tribuni a plebe, ut nunc in hoc Conventu Iustificacionis praedicacio pura, item utraque species sacramenti, uxores sacerdotibus restituantur. Quod si hoc fiat, volunt in aliud tempus commodum reliqua reicere. Si autem non<sup>a)</sup> concedent, ut nulli proventus sacrificis dentur. Excommunicent, quantum volent etc. Eventum brevi tempus ostendet.

Sed ecce que infoelicitas melioris partis esse solet. Christofferus Gnoienski, homo in re militari facile in suo ordine primus, unus ad hunc Conventum, inter ceteros, de terra Sandomiriensi nunccius, mania quadam laborare cepit et ita discessit. O quam triumphant et laetantur sacrifici, exprobrantes nobis (laicis scilicet): Videte, quod non deceat vos de religione agere. Ecce ad insaniam usque vultis tractare negotia, ad vos non pertinencia, et cetera. Novit saltem nomen Vestra Illustrissima Dominacio istius Gnoienski, qui et in religionis et Reipublice negociis tam sincere et fideliter egit semper, ut paucos haberet equales, quamvis litterarum ignarus, nisi Polonice.

Item Czikowski nunc domi sue manet, servicio aulico et illo stipendio militari liber. Sed nollem, ut ille sciret, quod ego hec de illo scripserim.

Item mitto Vestræ Illustrissimæ Dominacioni a Iacobo Seczigniewski suprascripto litteras et nescio quod, noviter inventum, cudendæ monetae compendium, una cum exemplis, ex quibus<sup>a)</sup> parum, ut puto, colligi potest. Esset quidem ars utilis et neccessaria, si vera est. Nimium tamen pro invencione exigit, 2000 scuttorum ad minus, quamquam et hic compendium in solvendo inveniri possit, ut scilicet non unus aliquis Princeps, sed plures persolvant hanc artem et utantur, et cetera.

Legati apud nos ab extra hii sunt: Tartarorum, nostrorum confratrum, qui petunt, ut tributum duplo maius, quam antehac singulis annis datum, habeant. Item Turcarum, ut damna subditis eius, per Pretfficz et filios Palatini Belzensis<sup>7)</sup> illata, persolvantur, per eundem Legatum ad 180000 florenorum taxata. Tartari nondum absoluti. Turcis quidem responsum, quod Regia Maiestas comittet eciam suis scrutinium de damnis illatis et taxacionem, nondum tamen absoluti sunt.

Item Illustrissimi Principis Marchionis Ioannis Legatus, Cancellarius. Item hodie Sigismundus ab Herberstein et Doctor Ioannes Langus nomine Regis Ferdinandi venerunt. In Vittow monasterio, unum abhinc miliare, diverterunt.

Ex Italia affertur Ducem Florenciae<sup>8)</sup> moderno Papae oppidum hoc, unde est oriundus, una cum territorio donasse, idque in hereditatem, diciturque singulis annis 10000 coronatorum afferre.

Incipit iam, more maiorum suorum, iste Iulius Tercius fumos palis probitatis suscitare, inter ceterasque virtutes spem Concilii Generalis facit, ad Calendas Grecas scilicet, nisi forte tale possit dare, quod ex se totum pendeat.

Ex Germania nihil novi, presertim certi, scimus. Sunt, qui affirmant Conventum Imperii, iam pridem pro die 25 Iunii pulicatum,<sup>2)</sup> Augustae futurum. Sunt eciam, qui se dubitare scribunt, dicentes Imperatorem classem quandam cum nova sponsa<sup>9)</sup> Philippo filio ex Portugalia exspectare. Ego nihil certi affirmo.

Item Rex Ferdinandus Vienna discessit versus Ispruk, unde recta Augustam iturus dicitur. Item sparguntur rumores, qui pro veris habentur apud quosdam, Caesarem Turcarum<sup>10)</sup> non ingratum fuisse legacionis, amicicie et tributi a Rege Ferdinando, foedus eciam prorogatum esse, et cetera. Item ex Bohemia et Slesia inaudita calamitas hominum, tot et tantis tributis afflictorum, describitur, ita ut credant, si hodie Caesar moriatur, quod cras Regem Ferdinandum quibusvis extremis persequerentur, ut tyrannum.

Item ex Hungaria nihil tale hic auditur, neque de Monacho<sup>11)</sup> et Hispanis, neque de morte Reginae Isabellae. Metuunt quidem sibi Hungari a Ferdinandō, qui sub Monacho sunt, ita ut timendum sit, ne se sub Turcas dent. Habent enim suspectum Monachum de quibusdam tractatibus cum Rege Ferdinando. Et ita, si quid faceret Monachus contra Regem, non esset mirum. Faceret enim, ut suorum animos reconciliaret et tam periculosa de se suspicionem amoveret. Sed agant, ut velint, si Ferdinandus vivit, Turcorum Hungaria est tota. Carolus enim V, qui maximam de se christianorum spem hactenus fallit, vix tam diu vivet, ut Germaniam et alias suas diciones paccatas videat illisque credere audeat. Reliqua tempus aperiet, quod nobis, credo, brevi ostendet, quam frugi homines simus.

Item ad me parumper ibo. Illustrissime Princeps, habui a Vestra Illustrissima Dominacione 300 florenos nomine mutui, nunc erit biennium, ita ut in tribus annis solverem. Cum autem primus annus adveniret, scripsi Illustrissimae Dominacioni Vestrae interrogans, cui talis peccunia danda esset. Que mihi rescribere dignata est se eiusmodi peccunia non indigere. Quod quidem ego facile ac libenter credo. Nunc anno adveniente altero, dubito, an alteras similes litteras expectare, vel an prioribus acquiescere debeam. Dixi...

Petrikovie, 2 Iunii, 1550.

Stanislaus Boianowski.

- |                               |  |
|-------------------------------|--|
| a) <i>supra lineam.</i>       | 6) <i>Andreas a Górką.</i>   |
| z) <i>sic in ms.</i>          | 7) <i>Hieronymus, Nicolaus et Ioannes, filii Nicolai Sieniawski.</i> |
| 1) <i>Anna Sophia.</i>        | 8) <i>Cosmus I.</i>  |
| 2) <i>Otto Truchsess.</i>     | 9) <i>Maria Tudor.</i>   |
| 3) <i>Samuel Maciejowski.</i> | 10) <i>Solimanus II.</i>   |
| 4) <i>Petrus Kmita.</i>       | 11) <i>Georgius Utischenović, alias Martinuzzi.</i>                  |
| 5) <i>Ioannes Tarnowski.</i>  |  |

N. 1233.

Petricoviae, 19.VI.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de petitionibus tribunorum plebis (nuntiorum terrestrium) in Comitiis  
propositis; de nimia potentia castellani et palatini Cracoviensium,  
« qui Regem regunt »; de colloquio suo cum regina Bona; de litteris  
a Friderico Knobelsdorff acceptis.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.379.*

*... Illustrissime Princeps.*

Ante 18 dies dedi Asuero Branth ad Illustrissimam Dominacionem Vestram litteras, in quibus inter cetera de negociis nostri Conventus

aliquid tractabatur. Que quidem ab illo tempore tardius fere quam testudo progrediuntur, idque frigidissime, ita ut de illis nihil apposite scribi possit. Nullam enim prorsus certam regulam habent, nisi forte Episcopo Cracoviensi<sup>1)</sup> pro canone utamur, in quo omnia negocia, nos tangencia, divina scilicet et humana, reconduntur, magno omnium proborum dolore rerumque nostrarum extremo periculo. Ut tamen Vestra Illustrissima Dominacio intelligat esse adhuc homines, Reipublice et dignitatis eius benevolentis, mitto hic Illustrissimae Dominacioni Vestræ duas partes actorum Conventus,<sup>2)</sup> que tribuni provinciarum porrexerunt. Terciam nunc non potui mittere, quia est paulo prolixior.<sup>3)</sup> Tempus autem mihi subangustum est, ut ne nec quidem, que mitto, Latine reddere potui, credens Illustrissimam Dominacionem Vestrā eiusdem interpres habere.

Faciunt, Illustrissime Princeps, officium suum tribuni plebis, sed eorum autoritas a nostris practicis per omnes occasiones summis artibus diminuitur, atque hoc iam, preter cetera, agitur extremis conatibus, ut prorsus tollatur. Quod quidem et ego valde metuo. Senatores enim fere omnes, excepto Archiepiscopo,<sup>2)</sup> iam retrocedere incipiunt, qui anno superiore malis practicis resistere strenue videbantur.

Nihil est adhuc responsum a Regia Maiestate ad has peticiones, sed video in Senatu hoc agi, ut nihil tale, quod illi petunt (quamquam iustissime) concedatur, nisi forte minima quedam, ne omnino nihil concessisse Remque Publicam apercius ridere et ludere videantur. Tanta enim insolencia et audacia eorum est, ut eos sceleribus gloriari non pudeat. Lugent hic omnes fere et quasi presentem ruinam ex tam tristi facie rerum colligunt. Quis enim bene ominari possit, rebus ita perturbatis summisque odiis infectis. Que cum in omnibus prorsus Hungaricis (ante interitum Ludovici Regis) sint simillime (nisi quod nostri Hungaricas hoc malo superarunt, quia seculares cum spiritualibus pessime convenient, quod in Hungaria illo tempore non fuit), non longe eciam ab eiusmodi exitu abescent videntur. Sed est aliud adhuc, quo Poloni Hungaros superarunt, nempe quod Hungari unum tantum hostem habuerunt ab Oriente, nos vero eciam ab Occidente, ut domesticos taceamus, qui istis utrisque periculosiores nobis esse videntur. Quid enim? Si pacem habemus, que non facile sperari potest, oprimentur leges et libertates publice, si hostes veniant nosque in unum cogant. Quis est, qui bellum civile non videat et prohibeat, nisi nos Dominus Deus sua virtute servare velit?

In religione, de qua tribuni ex Conventibus particularibus mandatum habent, nihil adhuc egerunt publice, videntes, quomodo alia, que planiora et familia videntur, succedant. Premunt tamen paratum scriptum in hac re atque per omnes occasiones volunt profferre. Sed nihil proficient, si verba dent angelica, nisi intrare compellant. Isti enim duo dignitarii Cracovienses, qui Regem regunt, unanimiter resistent, quantum possunt, suis vafriciis, quamquam tercii triumvir, Marschalkus Littwanie<sup>3)</sup> (qui hic cum Rege magis negotiatur solus, quam omnes Poloni, turpiter et misere molestissimeque ferentes tamen) non male religioni afficitur, si verum dicit. Et ita nisi adeo vel a nobis fame, aut certe fuste cogantur, non est quod speremus in argumentis, eciam in verissimis rationibus fundatis. Questi sunt nuper duo sancti patres coram Rege ioco, me astante. Iam, inquiunt, nihil agunt seculares, quam ut nobis accipient. Non hoc agunt, respondi ego. Sed nec esset iustum aliena accipere. Hoc quidem iam plurimi agunt, dico, ne vobis dent, quantum dabant vel vos exigitis.

Quod attinet negotia Illustrissimae Dominacionis Vestræ, et quid

Legati Ferdinandini eorumque promotor (contra omnes patrie raciones), Episcopus Cracoviensis, agant, Assuerus Branth Illustrissimae Vestræ Dominacioni perscripsit, ita ut ego eam occupare id scribendo non audeam. Tantum doleo nostra Romanopolonica ingenia ita insanire, ut sua suorumque iugula petere non dubitent.

Regina Bona hactenus est in Gomolin, ut ante scripsi. Cuius negotia, contra eius voluntatem, in omnibus succedunt. Fuit apud eam Regia Maiestas iterum proximo die solis, atque per 4 circiter horas soli duo contulerunt. Nec tamen uterque contentus est. Spero autem eam hinc non discessuram, antequam Conventus concludatur.

Septimo abhinc die alloquitus sum per ambages Suam Reginalem Maiestatem de illo matrimoniali negocio. Que ita respondit: O, bone frater Boianowski, et cepit flere. Ego nihil scio, sed caveat Dux Prussiae, ut potest, in omnibus rebus. Sunt enim mali et malevoli homines, et sunt iam multi, qui libenter male faciunt. Deus illis parcat. Ego scio, quid mihi eciam fecerunt et meis filiabus. Tu intelligis, quid ego dico. Sed tibi dicam aliquando plus. Nunc ad me venit Palatinus Mazovie,<sup>4)</sup> frater Domini Archiepiscopi, oportet me cum illo loqui.

Item Fridericus Knobelsdorff, Locumtenens et cetera, ad me scripsit, rogans sibi significari tempus et locum, confirmacioni foederum et privilegiorum inter Poloniæ et Prussiam destinatum. Respondi me nihil adhuc certo scivisse. De Comiciis Imperii ita scribit: Caesar duas causas istius Conventus in edicto suo scribit, ut de Concilio et de reliquiis rebellium adducendis ad obedienciam etc. agatur. Mihi quidem destinatum est Comiciis adesse, si modo sine meo extremo periculo fieri possit. Quo te a Rege tuo itidem mitti peroptarim.

Hec ille. Plura nunc non scribo, properante Mercurio..

Petrikovie, 19 Iunii, 1550.

Stanislaus Boianowski.

1) Samuel Maciejowski.

4) Joannes Dzierzgowski.

2) Nicolaus Dzierzgowski.

\*) desunt

3) Nicolaus Radziwill « Niger ».

\*\*) cfr.: N. 1235.

N. 1234.

Petricoviae, 21.VI.1550.

Iacobus Przyłuski, notarius castri Premisliensis,  
Alberto in Prussia duci  
de consultatione in Comitiis; de periculo ex parte Valachorum; de Turcis  
damna sibi resarcienda requirentibus; de legato regis Ferdinandi et  
de legatione ducis; de religione reformanda etc.

Sigill.

H B A, B 2, K.379.

Illustrissime Princeps, etc.

Tametsi non ignorem Vestram Illustrissimam Celsitudinem scire ex aliis, qui hic sint Comitiorum motus, ne tamen ipse erga Vestram Illustrissimam Celsitudinem officio meo desim, ea, quae hic geruntur, Vestræ Illustrissimæ Celsitudini perscribere volui.

Sacra Maiestas Regia rogit nunc Senatorum calculos, quanam ratione et iura Regni confirmari et in executionem deduci possint, ut legatorum equestris ordinis postulationibus satisfiat. Nihilominus tamen alia

ex parte metuimus, ne omnis haec consultatio de legibus belli tumultu praecidatur. Certissime enim hic nunciatur Valachum ad fines Regni adventare, arma conclamare et casum suorum nuperrimum Pokuciae vastitate velle vindicare.

Turcae autem Legatus damna,<sup>a)</sup> dum fuerat in Persia, suis illata ad summam centum et triginta aureorum estimat. Quae nisi arbitratu Commissariorum utrinque ad fines Regni mittendorum solvantur, foedus ictum ait fore irritum.

Porro Regis Ferdinandi Legati,<sup>1)</sup> praeter solitum, diligenter nomine eius filiique ipsius omnes fere Regni Status salutarunt, ita ut ob hoc non levis suspicio sit excitata ipsum regium filium in spem Regni huius olim potiundi arrigi, idque opera illorum, qui hoc tempore apud nos plurimum possunt et futuros eventus, nescimus unde, praesagiunt.

Legatio autem Vestrae Illustrissimae Celsitudinis, ut prudens, pia, iusta et amica nostro populo fuit, ita gratissima hoc tempore accidit, illud autem in primis, quod Vestra Illustrissima Celsitudo Serenissimum Principem nostrum ad restituendam puriorem religionem, falsam autem explodendam hortabatur. Nihilominus tam sanctis votis quidam nostrorum Episcoporum restiterunt, asserentes indignum esse facinus, si laici Principes de Ecclesiae doctrina tractent Romano Pontifice invito.

Coniugii nostri levis est mentio a legatis provinciarum habita, ne scilicet vel repente celebrem causam deseruisse, vel Rempublicam magis etiam velle turbare videantur.

De meis rationibus Dominus Seclucianus Vestrae Illustrissimae Celsitudini dicet coram. Quem ut audiat simulque meam obsequendi voluntatem ut Vestra Illustrissima Celsitudo gratia sua complecti dignetur, supplex oro. Datum Petricoviae, sabbato ante festum Sancti Ioannis, 1550.

Vestrae Illustrissimae Celsitudinis  
mancipium  
Iacobus Prilusius, Notarius Premisliensis,  
Illustris Domini Palatini Cracoviensis<sup>2)</sup> familiaris.

a) sequitur exp.: ad summam

1) Sigismundus ab Herberstein et Ioannes Lang.

2) Petrus Kmita.

N. 1235.

Petricoviae, 24.VI.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci*

*de negotio Stanislai Orzechowski; de causa religionis in genere; de negotiis Regni; de regina Bona in villa [Gomolin] usque ad finem Comitiorum permansura; de nuntiis regis Romanorum [Ferdinandi I]; de Concilio.*

*Sigill. Autogr.*

*(Annexum: Articuli tertii regi a nuntiis terrestribus porrecti).*

*H B A, B 2, K.379.*

*Illustrissimae Vestrae Dominacioni omnia letissima precor.*

Ante 6 circiter dies dedi litteras ad Illustrissimam Vestram Dominationem, quibus id, quod tempus ferebat, scripsi atque hec acta, que tercio tribuni plebis porrexerunt, mittere promisi, cum antehac primam et secundam partem miserim.\* Tumultuarie autem scripta esse video, propterea quod Regia Maiestas tribunos sepius admonere iussit et urge-

bat, ut sine mora id, quod vellent, exhiberent. Et ita quidam articuli prime partis in hac tercia repetuntur.

Regia Maiestas cum Senatoribus hiis diebus consultat, ut ad hec omnia respondeat. Tribuni autem plebis, tristia responsa expectantes (parum enim aut nihil se obtenturos vident), causam Stanislai Orzechowski tractant. Qui cum esset sacerdos, illeque doctus, petebat ab Episcopo suo Przemysliensi,<sup>1)</sup> ut sibi uxorem ducere (secundum christianorum legem) permitteret. Quod cum Episcopus nollet atque concubinas, quodquod vellet, concederet,<sup>a)</sup> iste dimissis suis beneficiis, ducta uxore, ex patrimonio suo aliquod villarum vivit, sacerdocio eorum heretico abiecto. Nunc in ius ab Episcopo illo vocatur, qui eum ad videndum honore, sacerdocio et omnibus bonis privari et de Regno banniri cittavit. A quo processu iste ad Archiepiscopum Gneznensem<sup>2)</sup> appellavit. Cuius rei extum expectamus. Plurimi Senatores (eciam et Marsalcus Littwanie)<sup>3)</sup> pro eo sunt rogantque a Rege et ab Episcopis, ut hec causa ab ipso Rege et Senatoribus omnibusque Regni Ordinibus iudicetur. Pro quo et tribuni sese interponunt. Sed hoc Episcopi mordicus defendunt, gens durae cervicis, volentes pars simul et iudices esse. Quod etsi omni rationi repugnat, tamen video Regiam Maiestatem eorum insolencie nihil prorsus resistere.

Item causa religionis (in genere), que utcunque assurgere ceperat, descendere videtur. Nec plus, ut video, in publicum de ea tribuni producent, quam ut liberum sit bonis sacerdotibus concionari veritatem, et cetera. Quorum quia iam non parvam copiam esse existimant (modo sint a tyrannide Episcoporum tuti), putant brevi futurum, ut quam plurimi, si non omnes, ex nobilibus presertim, veritatem agnoscant, et tum demum cum Episcopis agere volunt.

Porro quod negotia Regni in genere attinet, futurum videtur, ut Senatores, qui nuper honestis Reipublice studiis magnam laudem et favores omnium habuerunt, hos amittant atque pro maximis aliis (apud communitatem) permittent, ob hoc, quia regii et partis eorum adverse conatus subscribere videntur. Nec tamen fidem unquam et graciam (nisi forte coloratam) sunt habituri. Sic habent res humane et sapiencia mundi. Dominus Deus noster convertat nos!

Item matri cum filio ita convenit, ut ante scripsi, speroque eam in ea villa ad conclusionem usque Comiciorum mansuram. Cum qua hactenus liberum colloquium non habui, quia semper aliquis intervenit, cum quo illa habet quod agat, aut quem timet etc. Nec eciam urgeo nunc, nec volo aperte quidquam agere, donec a Vesta Illustrissima Dominacione responsum habeam, quod indies expecto.

Item Nuncii Regis Romanorum<sup>4)</sup> hodie cum Regia Maiestate prandebunt. Qui hic in magna observacione sunt Episcopo et Castellano Cracoviensibus<sup>5)</sup> et sacrificorum cohorti et ceteris id genus.

Valeat Illustrissima Vesta Dominacio cum suis omnibus foelicissime mihi propicia. Petrikovie, 24 Iunii, 1550.

Concilium Generale a Iulio Tercio solenniter promissum esse affirmant, tale videlicet, in quo Episcopi<sup>b)</sup> sint omnium iudices.

Stanislaus Boianowski.

Non vaccat denuo scribere, ut hic error corrigatur, quia nuncius properat. Ignoscet itaque Illustrissima Dominacio Vesta.

a) *verba*: atque concubinas, quodquod vellet,  
concederet *in margine*.

b) *in ms.* Eupi

\*) *Cfr.* 1233.

1) *Ioannes Dziaduski*.

2) *Nicolaus Dzierzgowski*.

3) *Nicolaus Radziwill « Niger »*.

4) *Sigismundus ab Herberstein et Ioannes Lang*.

5) *Samuel Maciejowski et Ioannes Tarnowski*.

*Annexum: Articuli tertii regi a nuntiis terrestribus porrecti.*

Trzeczie Articuli s prosbami Croliowi I.M. na prętcze od Poslow Powiatowich podane.

Iakosmi przethim w pierwssich articuliech Krolia I. Mczi o exequo-vanie prziwilieiu 1537 anni od Krolia I.M. danego proszili, tak i na ten czas proshimi, abi Krol I.M. wedlie pierwssich prosb sądi, ktore szie po smierci s. pamięci Krolia Starego asz do tego czasu przetoczili, abi bilo to od Krolia I.M. naprawiono. Abowiem bi szie w czo innego obrocjlo exequowanie tego tak swiezego prziwilieiu, wniwecz wdawacz nie o wssem godzilo.

Item prossą, abi Krol I.M. tesz to czoszkolwiek rosdacz po smierci s. pamięci oicza swego, Krolia Sigmunta, raczil, iako są listi na gimiona, na nowe mita, na czla y na wszelkie urzędi, dostoienstwa y pozitki, summi y tesz czoszkolwiek kto za expectatiwami odzierzal, abi to bilo cassowano. Pierwssego podanego o tim articulu w tei mierze niwczim nie odstem-puiąc, iako sserzei napisanego, gdisz prziwiliei Krolia I.M. 1537 anni, przecziw ktoremu szie w tim rozdaniu wikroczilo, ginaczei exequovano y naprawiono bicz nie moze, jedno abi tho, czo szie w tich dwu liecziech dzialo, belo exequovano wedlie statutu seu prziwilieiu, zwlasszca iako w sądziech, tak y okolo rozdania, abowiambi czalei nadzieie o wipelnieniu prziwilieow poslednieissich, ktore szie teras obieczuia, miecz szliachta nie mogla, gdziebi szie ten niedawno dani, a snacz liedwie oschli prziwiliei nie naprawil.

Item reces nad uchwalą seimową po Seimie widani, abi belo opa-trzono pisanim, iakobi ni od kogo na pomocz nie bil bran na przisse czaschi, iako iusz iesz od Krolia I.M. to poslom w tich dniach obieczano, isz nie ma nikomu bicz ku sskodzie, i gdisz tilko od postronnich narodow takowe recessi biwali uziwane, ku upatku y zniewolięniu onich ziem, a nie od Poliakow.

Item abi miedzi Koroną a przileglimi Xiastwi, iako są Volinskie, Litewskie, Szliąskie, Margrabskie, Vegierskie, Pruskie y inne pograniczne panstwa, abi beli Commissarze vislani, przed ktoremibz szię o mordi, o naiasdi y o inne ucziski rossadzilo, y kazdemu abi takowe sskodi beli nagrodzone. Abowiem gdziebi szie to beze wssei przewloki nie postanowilo, bes wielkich mordow y russenia miedzi timi ziemiami biczbi moglo.

Przet kilkiem liath Commissarze Polsczi y Szliąsczi skazali są pla-cicz Szliżakom do Polski za szkodi niemalą summę tim, ktorzi od Szliąska wielkie szkodi popadli, iakosz snacz Krol I.M. Ferdinand iusz bel roskazal takowe poddane swe w sskodach przed Commissarzmi przesądzonich uisczic, a tak prossą, abi Krol I.M. exequutię decretem tim to commis-sarskim u Krolia I.M. Ferdinanda wiprawicz raczil, abi takowe szkodi do Polski beli od Szliżakow placzone, gdisz iusz zwlaszczca są dowiedzione y od Commissarzow skazane.

Roki kroliwskie abi nie beli sądzone s tich prziczin: Pierwssa, isz Procuratorowie, ktorzi na dworze są, smislaią pozwi ex mere terrestris iniuria, cziniąc officii causas, prziadwssi jedno poenam statuti et obmissa taxa, abi szie tilko nie rozumialo civiliter, jedno criminaliter, przeto ad poenam statuti poziwają. Druga ratio, isz takowe officii causi Referendarze tilko s Kroliem I.M. odprawuią, a na pozwiech biwa coram nobis et Consiliariis nostris lateri nostro assidentibus. Trzeczia, isz na takowich pozwiech, ktore biwają post curiam, prziadawaią rok, ubicunque Regia Maiestas cum curia foeliciter constituta fuerit.

Item sandi assessorskie abi nie beli, a tho s tei prziczn, isz iednak

appellatię od nich idą, a skoro od kazdego ich decretu, a ubodzi liudzie wielką szkodę w tim czierpią, dwoiaki sumpt na tho nakladaiąc.

Item prossą, abi o widerkow vikupno bilo wolno pozwacz do grodu, iako in officii causa.

Item prossą, abi sprawi te, ktore zową officii causas, beli od Krolia I.M., przi bitnoszci kilka z Malei y z Wielkiei Polski Panow, sandzone, abowiem sprawi, ktore przed urzędem starosczim biwaią o rzeczy wielkie y dothkliwe, abi tesz wedlie statutu w kazdym woiewocztwie, do kiego bi Krol I.M. wiechal, onei ziemie sąd dla takowich spraw przi Kroliu I.M. biwal, a w acta pissarz ziemski abi nie wpisował actie i decreta wedlie statutu: Liber seu acta ad extrahendas litteras pateant libere etc., gdisz s Kancellarii s trudnością takowich rzeczy dostawacz y z więtssim nakladem przychodzi. A abi takowich act na roczek ziemskich minuti widawano dla tego, abi cziniąc wzlokę w rzeczach sprawiedliwych nikt, gdi kto bierze ad munimenta albo na quit, pofolgowania nie mial.

Item w dzierzawach od Kroliu I.M. zastawionich chlopi zwikli one swe dzierzawcze mandati poziwacz za dworem, nie będąc wikupieni od Kroliu I.M. Prossą, abi takowi dzierzawcze imion Crolia I.M. nie bili poziwani, ani chlopi abi nie beli od posłuszeństwa u takich dzierzawiech odciągani, gdisz statutem to iest opatrzonu, iako po wikupnie Kroliu I.M. gimienia dzierzawca ma postępowacz.

Item vidane są universali na Zidi na iakowis podatek, w ktorich to universalie stało, isz gdziebi z miast szlacheczkich Zidowie na tamthe contributią zwolicz nie chczielni, zakazano gim uziwacz wolnoszci w mieściech Kroliu I.M. Isz więc takowe uniwersali, iako bes uchwali seimowej widane są przeciwko statutowi: Nihil novi statuemos nisi in Conventione generali etc., thak tesz prossą, bi to bilo naprawiono, iakobi poddani stanu duchownego y szwieckiego tak zniewolieni nie beli. Gdisz tesz z miast Crolia I.M. liudzie szliachtı y poddanich ich podatki y ziwnosz sobie omisilia tak wielkie, iako sami miedzi sobą.

Item aczkolwiek iusz na wielu mieściach statuti iest opatrzonu, abi wolne rzeki ku spustowi bili, zwlasszca rzeka Drviecka y insse wssitkie rzeki navigabiles, a wzdan na wielu mieściach na rzekach mają jazi, mlini ku szkodzie wielkiej Koronie y omieszkaniu, abowiem aczkolwick kto szkodi swei na panie onego grunthu poszczignąc mogł, na którego szie jazie szkoda komu stanie. A wszakze isz fliszowniczi, prze boiasn częstokrocz wdacz szie w niebespieczęstwo, nie chcza przes takowe jazi przejezzdacz, dzieie szie wielkie omieszkanie, czekając wodi, y szkoda - chowiąc flissowniki, prossą, abi iuz takowe bili do grodu poziwane o szkodę y o winę Kroliu I.M., ktorzbi od tich czassow, duchowni, szliachta albo miesszanie, takowe jazi na rzekach mieli, a tam abi beli powinni odpowiadacz zawicie.

Item statut anni 1540 abi bel zlozon, bo nań poslowie nie zwolieli y opowiedzieli szie, isz go trzimacz nie chcza iako Koronie szkodliwego.

Item abi nikt s powiatu poziwan do Kroliu I.M. post curiam nie bel, gdisz o kazdą rzecz y krziwdę do ziemstwa pozwacz moza.

Item sząndi assessorskie, na ktorich rossadku nikt przestawacz nie chcze, iedno pissarz ma pozitek s tego y procuratorowie, a szliachta szie ubozi, prossą, abi nie beli, abowiem gdi Krol I.M. dwa dni w tidzen sądzicz będąc raczil, a nie limitowacz caus od sędziow, mogą bicz wssitkie rzeczy bes assessorow.

Item Siem valni abi bel na kazdi rok składan dla stanowienia rzeczy a potrzeb koronnich, gdisz w spokoinieissich państwach nie rzkąc tilko

ras w rok, alie na kazdi tidzię spolne seimi miewają dla stanowienia potrzeb państwa swego.

Item abi Siem valni bil zimie skladan, a nie liecznie albo na wiosnę, ktorego czasu seimowacz y z niebespieczęństwem y z omięszkaniem wielkim pozitkow przichodzi.

Item jest pospoliti sluch, iakobi theraznieissi posłowie, ktorzi są od Krolia I.M. Ferdinanda, nad zdawna obiczaine przeczivko onemu niedawno zmarlemu Kroliowi I.M., alie y wssem stanom coronnim mieli, gdisz nikomu to zakrito nie ieszt, iako zawzdy pierwi Krol I.M. Ferdinand narzekacz raczil o przyczęcie do Polski Crolia nieboszczika Januscha, a isz Poliaki wipusszono przeczivko iemu, skąd szie ich potrzeba obawiacz, abi Krol I.M. Ferdinand nie chczial wieszc w takowe pacta Coronie Polskiej, w iakowe bil wwiodel dziad iego Coronę Węgierską, isz krol węgierski bes przzwolienia stanow węgierskich skazil bil wolne obieranie krolia węgierskiego. Prze czo ieszt w poganske ręce prziszła ziemia węgierska. A to szie belo stało niczem ginnem w Węgrzech, jedno isz bes rad coronich krol węgierski czudzoziemcze silal do czesserza. A tak prossą, abi tho poselstwo, s ktem Pan Osius ieżdzil y czali rok na nim mieszkal bes przzwolienia coronnych rad, abi to bilo radam y posłom od riczerstwa odkritho.

Item czi, ktorzi bi takowi beli, ktorzi bi mieli gimięnie pod gininem panu, a przszięgą szie iaką obowiązali inssemu panu, prossą, abi I.K.M. takowim rzeczam zabiezcz raczil, abowiem szie obawiają, abi tho Rzeczy Pospolitej nie szkodziło, gdisz y Święte Pismo uczi: nemo potest duobus dominis servire.

Item scrutinia tajemne isz snacz tich czasow biwali za Krolia I.M. bes obwieszczenia stron, y tesz izbi beli miali bicz bes staroszkiego urzędu onei ziemie, w ktorej scritinium<sup>2)</sup> biwa, prossą, abi takowe niezwykle badania moczi nie miali, a na potim abi nie biwali czinione bes urzędu staroszkiego onei ziemie.

Item statut anni 1543, iako nie bel od wssei Koroni przyęt, y tesz wielie szkodliwych rzeczy w sobie ma, a tesz nie bel ucznion, jedno do roku, czo ieszt o gwałtownym wibiczu articulu, prossą y opowiadaią szie, isz wedlie niego sędziocz szie nie chczą, a zebi bel skazon.

Item abi takowim składow podnieszieniem srzebra, złota do Koroni tim więczei przinosscono, postanowicz, abi konie, voli, voski, skori, loie nie za towari, alie za gotowe pieniądze beli kupowane, a abi na granicach bel takowi kupiec winien przsziącz, iako za pieniądze, za złoto albo za srebro takowi thowar kupil, ni w czim takowej coronnej ustawi nie podchodziąc ani ossukaiacz, a isz złota y srebra nie winoschi, jedno czo bi mu na strawę dostacz moglo.

Item skladi mieiskie, isz są szkodliwe innim pańskim miastam, y isz tesz od czudzoziemczow, gdziebi takowe skladi nie beli, kazdi bi thowar laczno kupowan mogł bicz, prossą, abi takowe skladi beli podniesione.

Item prawdziwa ieszt powiescz, iakobi kupczi w Polszcze, zwlasszca w Krakowie, polską minczą, zwlasszca potroine s textem grosse crakowskiego biczia, wikupiwssi one od innych minicz wiprzedali, a tak prossą, abi Krol I.M. do starostw inquisitores wissadzicz raczil ku przeimowaniu od miesszan przszięgi iako od kupczow nie skupował takowej mińcze, ani wisilal.

Item abi czechowie w mieście wedlie statutu 1538 anni nikogo nie ucziskali pobierając rzemięsnikom roboti ich; abi tim rzemięsnikom, ktorim pobrano ich robotę, bilo wroczone. Gdziebi więncz raicze s tako-

wimi swowilnimi sprawiedliwosczi wedlie statutu czinicz nie chczielci, abi powinni beli zawiczie w grodzie odpowiadacz o winę y u staroszczyego urzędu, abi na nie w przekazanich winach exequutia szla o kazde nieexequovanie statutow pospolitch.

Item abi szliachczicz bel blissi przisiaż po umarlim kupcu, iako mu nicz nie ieszt winien, anizlize kupieczki potomek na czudze regestra, iako ten, ktori iusz z inną osobą o zawiedzionu dług czini.

Item sędziowie ziemszczi rokow abi nie odkladali, y abi nie folguyačz panom, oczekując ich przyasdu na roki dnia pierwszego liudzie y sprawi odprawiali, nie tak iako w niektórych ziemiach czekają panow, a gdi szie panowie odprawią, tedi liedza za przyciną, nawlioksz sięli ludzi, z nissczego nicz nie uczinią; o czo gdibi sędzia bel pozwan, o skodi abi bel powinien przisiaż na pirwssim roku, iako nikomu to gwoli uczinil, chcial li bi bicz wolien od placzenia szkod.

Item abi u kazdego sądu jedno ras sędzią w iednej rzeczy deliberował, okrom potkomorzego na graniczach, tedi tēn abi nie bral nigdi na deliberatię.

Item prossą, abi dziesięczini s tich wszi, ktore nowo zaszadli, nie na biskupa ssli, alie niechaj będą in arbitrio y w moczi onego pana, zebi ie mogl obroczic do ktorego bi mu szie koszciola podobalo.

Item aczkolwiek ieszt napisano de calumniis et inordinatis cittacionibus, fo.88, a wssakosz nie specificowano y nie dobrze wirazono, gdziebi mial bicz pozew falsiwi abo niefalsiwi uznan, a tak potrzeb ieszt, abi temu zabiezano, izbi szie potwarzi więczi nie mnozilo.

Item prossą, abi pozwi dotkliwe mieszcza nie miali, a criminales actiones abi nie beli sądzone, jedno na walnym Seimie.

Item prossą, abi I.K.M. pilnie scrutinium uczinicz raczil okolo falssiwei monet, ktobi ią kowal, iakosz iusz snacz szie nalezli niektorzi y ieden s nich na Sęgendzku sziedzi, ktori abi bel iawnie pitan, prossą.

Item zamki graniczne y miasta, a zwlasscza Kamieniec, prossą, abi Krol I.M. opatrzic raczil, tak zamek iako y miasto, strzelbą, poprawą murow, ziwnoscią y liudzmi, zwlasscza tich czassow niebespiecznych, majačz na te baczenie, isz to miecze ieszt prawie w paschiecze nieprzyazelskiei. Tosz nich będzie rozumiano y o inssich zamkach pogranicznych, ktore potrzebują opraw.

Item proszą, abi wssitci urzędnici groczczci, potstarosczi, sędzią, burgrabia, pissarz, beli ossiedli.

Item zeznanie wozniego abi bilo tak platne y wzazne u duchownego prawa, iako y u ziemskego y u niemieckiego.

Item thim, ktorzi idą ze Gdańską scutami, abi im bilo wolno bracz sol zamorską ku ziwnosci na drogę.

Item prossą, abi sędzia ossobni bel Radomski, a powiat abi bel w Steziczi, iako stara dawna przet tim biwal, dla trudnego przebywania przes Visłę dla powodzi.

Item abi seimi powiatowe wedlie starego zwiczaui beli składane, a nie tak iako tego roku, bo wssitkie beli na ieden dzień zlozone, prossą, abi gim bil przestrzeniissi czas polozon.

Item prossą, abi szliachczcie belo volno posli obieracz, a panowie abi szie w to nie wdawali, ponieważ isz ich Młisci na Seimi Valne powinni iezdzic.

Item prossą, abi w Pilznie bel grothsky sąd<sup>a)</sup> propter nimiam distanciam loci; o tosz prossą obawetelie Ploczkiego woiewocztwa, abi mieli grot w Mławie trzem powiatom Zakrzewskim ku sądzeniu.

Item prossą, abi skład w Niessowie bel soli Ruskiei, abi ie mogli

uziwacz ziemia Kuiawska, gdi formani soli nie dają dostatek.

Item prossą, abi Commissarze nie beli pociągani przed I.K.M. pro malo decreto, gdisz wolno stronie od nich appellowacz.

Item prossą, abi rzeka Buk bila wolna ku spussczaniu, a ktorzi tą rzeką spusszczaią s Koroni Polskiei, abi wolni beli od Brzeskiego mitha, ktore nadzwiczai nieznosznie biorą, tak isz kazdei komięgi nie odprawi pultori kopi Lithewskich. Takiesz y od Drohiczkiego y od innych wssech azebi belo wolno kazdemu przedawacz, komu szie zda, bo tego roku wssitkie thowari są hamowane na I.C.M.

Item Bieckiego powiatu szliachta proshi, abi rada miasta Bieckiego bela wedlie staradawnego zwiczaui obierana od starosti, a zebi Niemczi nie beli w radzie, iedno Poliaczi, bo iest miasto pograniczne. Thak tesz prossą, abi w Crosnie Niemczi w radzie nie beli, iedno Poliaci.

Item prossą, abi starostowie, iezlizebi iakie krziwdi albo ucziski czinili w graniczach, abi po dokonaniu granicz starosta bel winien szliachcicewi szkodi nagradzacz, na ktorebi prawo uczinil.

Item prossą, abi I.K.M. obiczai y porządek uczinicz raczil, iakobi zbiegli kmiecie, tak s Koronei Polskiei, iako z Księstwa Lithewskiego, widani beli, o ktore wielkie morderstwa y naiazdi zwikli biwacz.

Item prossą, abi I.K.M. z Sliąskiem a s Prussaki, s Węgri takiesz, postanowicz raczil, iakobi roznicze o takowe kmiecie miedzi thimi są siecztwi a nami moderowane beli y opatrzone.

Item prossą, abi o kmiecia zbieglego pan starosta w grod nie poziwał.

Item prossą, abi starostowie, a na imia Camienieczki, nie raczil się dzicz więcej nad czterzi articuli w statucie mianowane, okrom Volochow, ktorim sprawiedliwoscz winien iest czinicz nieodwlocań.

Item abi mieszczanie nie bronili szliachczie domow, pliachow, spichrczow kupowacz w mieście.

Item prossą, abi opiekunowie ze wssitkich dochodow generaliter, nihil excipiendo, liczbę czinili.

Item abi kazdi urząd od więzienia nicz nie bral, secundum statutum fo.109.

Item prossą, abi Kancellaria I.K.M. y pissarze ziemsczi y groczczi więcej nie brali, iedno wedlie statutu, od listow y od minuth.

Item prossą, abi sędzia bel inssi groczki, inssi ziemski, pissarz takiesz.

Item prossą, abi Pilcza bila volna ku plawieniu y Warta, secundum statutum.

Item prossą, abi pissarze ziemsczi y groczczi, y ich podpiskowie, zadnich caus nie sprawowali, secundum statutum.

Item szliachta powiatu Bieckiego prossą, abi drogi nowe do Węgier zarąbione beli, y insse wssitkie, ktore pod gorami lieżą, o tosz prossą, a zebi iedno stare telko gosczincze ku przebieraniu do tich ziem beli.

Item prossą, abi granicze wsseliakie, ktore Commissarze uczinią y act swoich na nie widadzą, abi przes I.K.M. dzierzane beli. Jakosz sędzia Lukowski, Radzanowski, skarzi szie, isz wielkie ubliżenie w takowych graniczach czerpi ku starostwu Lukowskemu.

Item panowie Kuiawianie prossą, abi Krol I.M. raczil dacz Commisarze albo Revisori ku oglądaniu a rossądzeniu około podnieszenia grobliei mlinia V.K.M. Mathewskiego, w starostwie Inowloczlawskim będącego, ktorim podwisseniem grobliei zatopila woda po niemalej części na oszmidziesiąt dziedzinach, y uczynilo szkodi to zatopienie roku kazdego, mnie albo więcej okolo trzech tisięci złotich, a mlin Mathewski nie czini pozitku V.K.M. mnie albo więcej okolo dziesiąci grziwien.

Item zaden urząd abi nie iezdził, ani przeimował zeznania od zadne-

go stanu czlowieka, iedno abi zapissi y wydania beli przed actami, bo tak szie zwiklo zapissowacz: constitutus personaliter ad acta praesentia, sanus mente et corpore.

Item miessczanie Krakowssczi czinią smowi s Fukari, isz od Fukarow za mnieisse pieniądze miedż do miasta biorą. Skąd Fukarowie czi innim postronnim liudziem w Coronie drozi kilkiem złotich przedaią. Za którą smową Fukarow s Krakowiani iuz zadnemu s Polski na baniach Węgierskich miedzi przedawacz nie chcą; abowiem ią sami przedadzą w Krakowie, iako chcą, a tak prossą, abi wssitkim wobecz w Krakowie miedż bela przedawana, iako y Krakowianom.

Item zdawna iest prziwilieiwano, abi niemieckie sprawi przechodzili przes szescz miast Commissarze, przi ktorich starosta szienda y swe votum miewa, gdzie tich czasow przes commissie y tesz inhibicię takowe wssitkie sprawi biwaią poczagnione przeciwko prziwilieowi. A tak abi takowe sandi y appellatie pri staradawnym zwiczaui beli zachowane.

Item niemieckie sprawi, ktore przypadaią za dworem, abi Krol I.M. z radami sądnicz raczil, gdisz wielie liudzi szlacheczkich sprawi maią w niemieckim prawie.

Item abi Krol I.M. z zwierzchnosczi swei to tak opatrzic raczil, iakobi niwczim nikt za wolnoscią prziwilieiu swego gwaltem wicisznion nie bel, a isz teras w prziwilieowaniam domu, gdzie y kto inni uciekssi tam w swobodzie mialbi bil bespieczne gardlo swe zachowacz, thu niewinne młodzieńcze bracią a krew nasse riczerską, gwaltownie rozlianą y pomordowaną, a tak pokornemi prosbami proszimi, riczerstwo koronne, abi Krol I.M. raczil zwierzchnosczi swei szie wiwiadowacz roskazacz tego gwaltownego mordownika, a tak to karacz, czo s prawa nalezi, abi tak iako szie to we wssem krzesczyństwie oslawilo rozeszcziem Universitatis Cracoviensis slawnei.

Item prossą, abi droga bela obroczena na Sądecz wedlie starego dawnego zwiczaui do Węgier; dla wielie pryczin tego one ziemie potrzebują.

Item prossą, abi bela libera electio sędziow, podsędziów, pißarzow, azebi zadnemu I.K.M. takich urzędow dawacz nie raczil, iedno iednemu, ktori bi bel od wssitkich wobecz zwolion, a I.K.M. per patentes literas opowiedzian.

Item Panowie Poslowie Wielkiei Polskiei prossą, abi rzemieślniczi onego kraiu, ktorzi szobie iakiesz listi u I.K.M. przeciw prawu pospolitemu wiprawili, karani beli, a listi wniwez obroczone przes I.K.M. beli, a Panowie Woiewodowie abi swą iurisdicją nad niemi wedlie statutu exequovali.

Item prossą, abi urzędi kanczlierskie, tho iest pieczęci, wedlie statutu I.K.M. in Conventione generali rozdacz raczil dla prętsei odprawi liuczkiei, bo iedna Cancellaria tak wielkim a wzanim sprawam dosicz uczinic nie moze.

Item prossą, abi antidiati, ktore iako nowo nastali, a nigdi przet tim nieslichane beli, abi I.K.M. tak opatrzic raczil, iakobi na potomne czasi nie biwali, bo tak to wielie I.K.M. ossobę iako wssitkie coronne obiwateli czasu swego obrazicz będzie moglo.

Item prossą, abi viceserentia Xięstwa Mazowieckiego nie bela, ponieważ ze iusz poslowie koronni o tho dawno prossą y rozumieią the rzecz bicz szkodliwą y obrazliwą Rzeczi Pospolitei, a tesz niepomalu bi beli obrazone prawa nasse pospolite, abi tilko ieden w samim Mazowssu voiewoda mial miecz viceserentia, gdisz szie tak w zadnym innem woiewocztwie nie zachowa.

Item prossą, abi liudzie prostei condiciei, tho iest nie szliachta ex plebo genere, mieszcza w radzie nie mieli, a iezli przelozeni na iakie do stojenstwa, prossą K.I.M., abi I.K.M. tak to opatrzicz raczil, abi o potrzebach koronich et de hominibus szliacheczkiego narodu a o prawich patriciussach nie radzili, a tho s tei przicznini, isz nigdi ta krew szliacheczkie przichilna ani ziczliva nie iest.

Item prossą, abi I.K.M. protokiem Xięże I.M. Pruskie, potim y wssitkie radi Pruskie, na przisli Siem coronni wezwacz raczil, a isz są czlonki koronne, przistoi im to dobrze, abi s nami radzili o pospolite dobre. Iakosz tego iest swieza pamiecz, isz panowie Prusci s pani radami niedawni czas są spolem radzili o potrzebach y dolieglosciach Rzeczy Pospolitei.

Item prossą, abi gdi do miasta kto ze zbozem przyedzie, a ma z sobą korzecz pod woiewodzą y pod miasta onego czechą, abi powinni beli mieszczanie onim czechownim korczem mierzic, a gdziebi ktori nie chcial, abi hnet na nim bela vina w statucie opissana od Burmistrza na takowim okazana, y abi ten, kto przedaie, sam strichowal zbose swe, a nie ten, ktori kupuie, gdisz kupczi lokcziem albo funtem sami mierzą, a nie ten, kto przedaie.

Item abi Commissarze, widawssi innotescentia na granicze, nie omieszkiali bicz na on rok, bo bi to belo z wielką szkodą stron, gdisz kazdziszie z niemalim kosztem gotuie ku granicząm.

Item zwikli s tich czasow wielie ich zbudowawssi szobie staw mita wiprawujac w tam tedi drogi albo goscincze obraczacz ku szkodzie wielom miast crolewskim y pańskim, a tak prossą, abi vedlie dawnego w statucie opissania starodawnimi goscinczi belo iezdzonono, a nowich drog wedlie staradawnego obiczaiu abi starostowie bronili.

- a) *correctum ex: sądzeni*  
z) *sic in ms.*

N. 1236.

Jabłonna, 24.VI.1550.

*Ioannes Jabłonki,  
Alberto in Prussia duci  
pro annuo stipendio sibi a duce assignato gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.379.*

N. 1237.

Petricoviae, 26.VI.1550.

*Samuel Maciejowski, episcopus Cracoviensis et R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
oblata occasione, ducem salutat et mentionem facit Comitiorum Imperialium ob adversam imperatoris salutem paulisper dilatarum; de exitu  
Comitiorum Regni ducem a suis edoctum iri credit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.379.*

*Illusterrissime Princeps, etc.*

*Cum Regia Maiestas istuc mitteret ad Illusterrissimam Dominationem  
Vestram de rebus ad ipsam pertinentibus, partim actis, partim agendis*

cum Caesarea et Regia Romanorum Maiestatibus, quae matura deliberatione ac celeri responsione opus habent, etsi nihil erat praeterea, de quo ego mihi ad Illustrissimam Dominationem Vestram scribendum esse existimarem, nolui tamen committere, quin eam pro studio meo et observantia singulari vel inanibus literis meis compellarem. Nam eadem, quae Regia Maiestas scribit, repetere operae precium non est. Novi vero hic nunc nihil est, nisi quod Comitia Imperialia propter adversam valetudinem Caesaris paulisper dilata sunt. Iam tamen is convaluit et ex inferiori Germania discessit. De progressu Comitorum nostrorum facile credo Illustrissimam Dominationem Vestram a suis, qui hic sunt, certiore fieri...

Piotrcovia, XXVI Junii, anno Domini MDL, Regni nostri.<sup>z)</sup>

a) Veste Illustrissime Dominationis  
humilis servus et capellanus  
Samuel Episcopus Cracoviensis et Regni Polonie  
Cancellarius.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria*.

z) *sic in ms.*

N. 1238.

Petricoviae, 3.VII.1550.

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
Laurentium [Discordiam] concionatorem commendat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: Wotschke, König Sigismund Augustus von Polen und seine evangelischen Prediger, N. 6.*

*H B A, B 2, K.380.*

*Illustrissime Princeps, etc.*

Cum ita fatis nescio quibus comparatum sit, ut Ecclesiam, in hac extrema mundi senecta tot aerumnis subiectam et undique procellis quassatam, cum dolore nos aspicere oporteat, atque res in hoc Regno nostro in eum quoque locum sint adductae, ut non solum nostris privatis, verum etiam Sacrae Regiae Maiestatis concionatoribus publice vereque verbum Dei, a commentis hominum repurgatum, profiteri haudquaquam liceat, eosque recessus quererere et in latebras se abdere sit necesse, neque alibi ingenui veritatis professores (si quid tale illis accidat) commodius, quam in ditione Vestrae Illustrissimae Dominationis perfugia et domicilia consequi queant, hic quoque eximius et eruditus vir Laurentius,<sup>1)</sup> Sacrae Regiae Maiestatis Ecclesiastes, in eas angustias est redactus in eamque necessitatem adactus, ut illi in ditionem Vestrae Illustrissimae Dominationis, tanquam in certum Ecclesiae exulantis hospitium et domicilium, commigrandum esset. Quare eum ego Vestrae Illustrissimae Dominationi diligentissima commendatione commendando rogoque plurimum, ut tandem istinc illi tuto per benignitatem Vestrae Illustrissimae Dominationis versari, citra ullum ab hostibus verbi Dei periculum, liceat.

In maximam adducor spem Vestram Illustrissimam Dominationem,

pro ea, qua est erga affectam Ecclesiam voluntate, eum clementia sua esse complexuram et hac in parte opera sua illi non defuturam...

Datum Petercoviae, III Iulii, anno MDLmo.

a) Illustrissimae Dominationis Vestrae servitor  
Andreas Comes a Gorka etc. manu sua subscrispsit.<sup>b)</sup>

a).b) *manu propria.*

1) Laurentius *Discordia* (*Niezgoda*).

N. 1239.

Petricoviae, 9.VII.1550.

*Petrus Kmita, palatinus et capitaneus generalis Cracoviensis,  
Alberto in Prussia duci  
nobilem Theophilum Schunicz in Mikcis commendat, ut ei libera potestas  
piscandi in stagno Sargen (Sorgau, Dzierzon) concedatur.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.380.

N. 1240.

Petricoviae, 10.VII.1550.

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
pro nobili Schmucz in Mikiersz (cfr. N. praeced.) intercedit, ut dux ei  
ius piscandi in stagno Sargen concedat.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.380.

N. 1241.

Petricoviae, 19.VII.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de negotio doctoris Ioannis Lohmüller; de proximo fine Comitiorum;  
de negotio defensionis Regni; de colloquio suo cum regina Bona in  
causa matrimoniorum etc.*

*Sigill. Autogr.*

H B A, B 2, K.380.

*Illustrissime Princeps,  
Negocium Doctoris Lomilleri, ut Illustrissima Vesta Dominacio michi  
scripsit, quantum in me fuit, promovi. Qui quod hic tam diu hesit, nec  
tamen causam suam finivit, nulla alia racio est, quam quod in manibus*

Dominorum spiritualium (ut ipsi se vocant) hoc genus causarum positum est. Nunc presertim, cum unum tantum Cancellarium<sup>1)</sup> habeamus, qui cum suis omnibus omnibus nobis, vel pocius probis,<sup>a)</sup> perpetuas iniamicias clam indixit atque more patris sui, diaboli, casses struere nunquam intermitit.

De nostra Republica et aliis rebus pauca nunc, illaque non nova neque eciam bona (laus Deo), Vestrae Illustrissimae Dominacioni scribo, sciens Doctorem Lomillerum paulo tardius ad eam venturum esse. Tribuni plebis nihil prorsus impetrarunt a Magistratu, nihilque preter vilipendium et scommata ex capite<sup>b)</sup> reportarunt. Exequucio legum publicarum Regni in magnum dubium venit, non tam Rege, quam Senatoribus resistantibus. Qui iam omnes ex voluntate Regis pendere videntur. Comicia in 9 aut 10 diebus, ut puto, solventur. Sed metuo, ne tribuni cras, aut perendie, vale (anni proxime preteriti) dicant. Datur illis generalis omnium legum confirmacio, sicut anno superiori dabatur, quam nondum acceptarunt, dicentes hoc nihil aliud esse quam antiquorum et novorum peiorum errorum confirmationem, si exequucio non fiat.

Item agunt cum eis Senatores magno studio, ut de Regni defensione consultant. Quod illi hactenus magno serio recusant, ostendentes antiuum modum deffensionis, bellum generale. Nec se ad aliud teneri. A repentinis vero incursionibus Regem ad deffensionem obligari a Regni inicio. Qui si dicit bona regia plurima esse oppignorata, respondet, ut exequucio introducatur, et sic redibunt bona regia ad Regem, aut ut illi, qui exequucioni resistunt eaque bona regalia possident, ad talem defensionem particularem teneantur. Sed nihil erit tale. Properamus per omnes vias ad ruinam, que casum querere videtur. Finem Deus novit.

Regina Bona 8 huius Warschewiam versus discessit, non ita bene contenta. Videtur tamen nonnulla bona spe ali arte Episcopi Cracoviensis, cui ex animo cupid, si auderet, confidere. Estque ita distracta et perturbata, ut respectu eius prioris industrie vel, ut vocant, factivitatis, alia longe atque errabunda appareat. Locutus sum cum Sua Maiestate per ambages de negocio matrimoniali filiae Illustrissimae Vestrae Dominacionis. Sed dixit se nihil prorsus scire. Commendavi Sue Maiestati studium Illustrissimae Vestrae Dominacionis in curandis matrimonii filiarum Suae Maiestatis. Quod non solum quod ingratum aliquibus fuit, verum eciam per omnes occasiones impediabatur. O, bone frater, inquit, sunt mali homines et nescio quid faciunt de isto Duce Branswiczensi,<sup>2)</sup> quod tam diu neque in hanc, neque in illam partem nihil certi scimus. Ego certe volo, mox veniens Warschewiam, ad Cardinalem Augustanum<sup>3)</sup> mittere, ut dicat, si quid debet fieri, ut fiat. Feci eciam mencionem honestam filii<sup>4)</sup> Illustrissimi Ioannis Friderici Electoris Saxoniae. Credo, inquit, quod non esset male, sed hoc non potest fieri inconsulto Imperatore, et quid dicunt, bone frater, quis est in causa, quod Dux Prussiae non duxit meam filiam? Certe non ego, sicut aliqui dicunt. Et Marchio Albertus duxisset eciam unam, si Dux Prussiae hanc non duxisset. Sed iam frustra est loqui, Deus illis parcat. Et quare me Nunccii non salutaverunt Ducis Prussiae? Dubitabant, dico, an esset gratum Maiestati Vestrae propter suspiciones in hiis factionibus. O, nihil est, tamen ego sum amica Duci Prussiae, misi ad eius nupcias, et cetera. Feci deinde mencionem eius practice, de qua fama est, quod filius Regis Ferdinandi<sup>5)</sup> ad Regnum Polonie adoptatur clanculum. Certe non esset hoc male, inquit, si filius meus (inquiunt) sterilis decederet, sicut valde metuo. Nam ista mulier nunquam habebit prolem. Bene esset, et quid, nonne melius est, ut habeatis Regem ex magna familia? Et cetera, ut pica, garriebat.

Item Regia Maiestas omnino vult ire in Littwaniam ante hiemem. Ego nescio, nec satis credo fieri posse ante Decembrem aut Ianuarium.

Item ex illa tragedia (Illustrissimae Vestrae Dominacioni nota), Palatinus Posnaniensis<sup>6)</sup> contra Castellatum Posnaniensem<sup>7)</sup> nudius tercius in Senatu invectivam et querulam admodum oracionem habuit, cui cras Dominus Posnaniensis respondebit.

Sed ecce Doctor Lomillerus obvius. Itaque per Mercurium Illustrissimae Dominacionis Vestrae mitto, qui cicius, ut puto, has perferet. Finem Comiciorum expectamus hiis diebus 9. Hodie enim Regia Maiestas dixit in balneo se 27 huius, hora 22, hoc est 2 hora ante occasum solis, hinc versus Cracoviam discessuram esse, infectis, ut metuo, aut certe male curatis negotiis. Nuncii sive tribuni (propter tranquillitatem) videntur nonnihil concessuri. De cuius rei exitu ipse Assuerus Brant, cuius expeditio quottidie expectatur, Vestram Illustrissimam Dominacionem plenius informabit, et ego plura scribam.

Ex Germania nihil novum narratur. Legati Romanorum Regis<sup>8)</sup> credunt (sed tamen non affirmant) Cesarem Augustam venisse et eorum Regem, de quo minus dubitant, quam de Cesare, qui, ut dicitur, postquam Bruxellis solisset, in itinere mala valetudine affectus, Bruxellas rediit. Cetera, si quid erit, per primam occasionem Illustrissimae Vestrae Dominacioni scribam. Petrikovie, 19 Iulii, 1550.

Stanislaus Boianowski.

- |  |   |
|--|---|
| a) <i>verba</i> : vel pocus probis in margine.       | 4) <i>Ioannes Fridericus II.</i>                      |
| b) <i>sequitur depicta imago mitrae episcopalis.</i> | 5) <i>Maximilianus.</i>                               |
| 1) <i>Samuel Maciejowski.</i>                        | 6) <i>Ianussius Latalski.</i>                         |
| 2) <i>Henricus.</i>                                  | 7) <i>Andreas a Górka.</i>                            |
| 3) <i>Otto Truchsess.</i>                            | 8) <i>Sigismundus ab Herberstein et Ioannes Lang.</i> |

N. 1242.

Cracoviae, 22.VII.1550.

*Preclaus (Preslaus) Gnojeński (Gnoiński) aulicus regius, capitaneus Grodecensis.*

*Alberto in Prussia duci*

*rogat, ut dux filium suum, in servitiis ducis manentem, dimittere velit,  
quo in servitutem regis transire possit.*

*(Germanice).*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.380.

N. 1243.

Petricoviae, 26.VII.1550.

*Samuel Maciejowski, episcopus Cracoviensis et R.P. cancellarius,*

*Alberto in Prussia duci*

*oratoribus ducis se diligentem operam suam adhibuisse nuntiat.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.380.

N. 1244.

Petricoviae, 26.VII.1550.

*Ioannes Dobrzkowski, succamerarius Plocensis,  
Alberto in Prussia duci  
nuntiat de exitu Comitiorum: de iurium et statutorum Regni exsecutione  
ad proxime futura Comitia reiecta et de eorundem iurium confirmatione;  
de futura regis in Lithuania profectione.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.380.*

*Illusterrissime Princeps, etc.*

Posteaquam Illustrissima Dominatio Vestra scripta mea grata sibi esse significare mihi dignata est, reddidit me ad hoc gratificandi officium hac ratione multo propensiorem. Non duxi itaque, data mihi nuncii copia, et nunc pretermittendum, quin ea, quae hic geruntur, Illustrissimae Dominationi Vestrae significem.

24. O wynieszienye monethy polieczci Iego K.M. mieiskim urzedom, a nad Zydy Panom Voiewodom, a tego dogładacz maya czy, kthorzy ssą na mynicze vyssadzeny wedlie statutu.<sup>ag)</sup>
25. Nyepothrzeba bendzie nicz stanowicz o them, gdy bąnda rzeczy zkassone wedlie statuthu, aczkolwiek y w thym by pothrzeba mode-raciey.<sup>ah)</sup>
26. Iest stathuth okolo thego anni 1540, dossicz dobrze napissany, ktorego Iego C.M. odmienicz nie moze, ktryom ssie tho opathrzilo, iss kupczi długow nie mogą dochodzic po thrzech lyath.<sup>ai)</sup>
27. Są okolo thego statutha, ktore w moczi Iego C.M. zostawia.<sup>aj)</sup>
28. Gdy ktry sąndzią pozwan bendzie, thedy go vinną Iego C.M. karacz bąndzie.
29. Okolo vykupna zapissem sobie kazdy obwarowacz moze, gdzie ku pieniądzom pozwacz ma.
30. Okolo pothwarthnycy pozwow nikomu ussnacz nie nalezy wedlie statutu, jedno onemu sąndu albo urzędowy, u ktorego possew bedzie producowan, y tho gdy strona o tho mowicz bąndzie chcziala. Apellacia do K. Iego M. wolna ma bycz.
31. Ius othprawion yesth.
32. Slussney rzeczy Panowie Poslowie prossą, czo Iego C.M. tess na dobrey pieczy miecz raczy y czyni ku opathreniu thych sąmkow, illie mosnoscz Iego C.M. dopusczi, alie na wienthsse opathrzenie potrzbaby, aby spolnye ssie o tho przyczynili wssyszczy, bo ssą I.K.M. wydierzecz tego nie moze.
33. Okolo falsywei moneti pilnoscz bendzie raczyl Iego C.M. czynicz, y iuss then wiessun yesth thu przywiession y python o to bandzie.
34. Prossą, aby wsyszczi urzędniczy etc.
35. Zostawya Iego C.M. przy statuczie, ktry iest w thei mierze napyszan.
36. Poniewass Iego C.M. wynien wszysthy sthany w prawye y swyczaiach szachowacz, nie moze thego odmienicz, czo sastal.
37. O sol pozwalia Iego C.M. y yuss roskaze, aby ssie tak zacnowaly urzedniczi I.K.M.<sup>ak)</sup>
38. Iest stathut, ktry to w ssobie ma, aby w Szendomirskei ziemy ieden sendzia mial bycz, a teras Iego C.M. execquie statuta, nie othmienia, a wssakoss y o tho y o powiat w Sthezycz mowicz moszi pothem.
39. O czem stathuth iesth, to wedlie statutu Iego C.M. zostawia, a ynsze syemie wedlie starego swyczaiu.
40. Wedlie starego swyczaiu zostawia I.K.M.
41. Acz nie sdza ssie bycz nyelussna prosba Panow Poslow, a wssakoss yss rzecz nowa iesth, nye moze terass bycz odprawiona, dokąd okolo statutow a przywilieow koniec nie bendzie.
42. Vyssadzicz raczy Iego C.M. na tho niektore s rad swych, aby okolo soli namowily, yakoby then sklad mogl bycz bes skody Iego C.M. S ktrych vyrosumiawssy Iego C.M., rad uczyni wsythko ku dobremu poddanych swych, ilie mocz Iego C.M. bąndzie.
43. Pozwaliacz raczy Iego C.M., aby Commissarze, czo ssie thknie pro male iudicato, pozywani nie byli, alie o krzywde, ktorą bąndaż Commissarzem kto uczyni, pozywani mogą bycz, iss nie uczyni abo nie dopusczi quod de iure est.

44. Buk w Koronye wolny iesth, alye w Xyesthwie Lythewskim nye wie Iego C.M., czo by ssie tham dziaç mialo, bo tham sa dawne ustawy, których ssie Iego C.M. odmieniacz nie godzi. Alye gdy tham bąndzie, dowieziesz ssie bendzie raczyl, czo ssie w they rzeczy dzieye.

45. Iesth o them statuth anni 1532, który w moczi zostawia Iego C.M.

46. Staracz ssie o tho bąndzie raczyl Iego K.M., alie chczalni miecz w thei mierze prethk sprawiedliwoscz, thedy pothrzeba, aby tess tu w Coronie prethka byla a starostom to poruczono bylo.

47. Stharostowie maya ssie okolo szadow swych wedlie statutoff zachowiawcy y tego doyzrzecz, iako K. Iego M. bąndzie raczyl, chyba opraw pogranicznich, ktore wedlie staradawnego swyczayu y zachowania odprawowane maya bycz, a swilascza przes Starosthe Camienieckiego.

48. Ktho chce paddacz ssie pod myesk¹ iurisdicię y poslusensthwa y ad onera equalia, themu nye bendzie broniono miejskiego ymienia.

49. Sna Yego C.M., yss slussney y pobozney rzeczy prossą Panowie Poslowie, aby opiekunowie ze wssytkich dochodow liczbe czynili. Alie iss rzecz nowa yesth, na then czass postanowiona bycz nie moze, dokànhy z rzeczy thy, na ktore Syem zlosson, odprawiony nie bendą.

50. O wiessowany statuth yesth, który chowacz roskaže Iego K.M.

51. Cancellaria y pißarze zyemszczy aby ssie zachowaly wedlie statutu, roskaže Iego C.M., a radby tho wydzial, aby powiedziano, s kogo nath stathuth w Cancellariey czo wssientho.

52. Poniewass nie yesth przeciwko statutowi, poswalia Iego K.M., aby rosny byli sendziow groczczi od ziemskego.

53. Iusz iesth odprawion.

54. I ten, iss nie iest przeciwko statutowi, pozwala go Iego C.M., aby nie sprawowali caus u tich sàndow, w których na urzendzie sziedz¹<sup>al</sup>)

55. Okolo granicze sa statuta, ktore w moczy Yego C.M. zostawia y wedlie nych ssie zachowacz roskaže.

56. Pozwalia nany Iego C.M., yako na then, który przeciwko statutowi nie iesth. Alie czo ssie thknie przy ossobie swey, zostawiacz raczy przy starym obyczayu.

57. Roskaže Iego C.M. polożycz przed ssobą przywilieye czescziom miasth, a wedlie niego zachowacz ie bąndzie, bo na them yesth, aby kazdego wedlie przywilieow iego zachował.

58. Myemiczkie sprawy Krol Iego M. sa s Radamy, ktore przy ssobie ma, ssadzicz raczy, alie Cancellariei s referendarzami przysluchowaczi ich roskażuye a przy stronach refferowacz tak, yako ssie to zawsy przedzym zachowywalo.

59. Iego [C.M.] okolo tego mordu, który ssie stal w Cracowie, wyeth-sa pilnoszcz czynil a wywiadownie, nyszli sznacz tess przystalo, chczac tho sbruzenie, ktore bylo, zahamowacz, a tak nye rozumie, czoby daley czynic mial, poniewass nikt nie instigowal ani instiguie.

60. Rozumie Krol Iego M., iss to slussna rzecz, aby kto innotescencia winyen byl na granicze yachacz, alye iss nova rzecz iesth, mussz czekacz ss niäm ynszego postanowienya.

61. Ius sa nasnaczeni Commissarze przes Iego C.M.

62. Pyeczecz Iego C.M. wedlie statutu na Seymie daczi bąndzie raczil.

63. Zachowacz bendzie raczyl wolne obieranie urzendnikow zadowych wedlie statutu.

64. Nye raczy wyedziecz, czo to sa listy, alie gdy powiedzam, Iego C.M. uczynicz bendzie raczyl, czo slusznye czynic平 bendzie mial s powinnowaczthwa swego.

65. Okolo korczow rzecz nowa yesth, a tak mussy na then czass tak zostacz, dokanth ynne rzeczy stanowione nye benda.

66. Nye nalessy nikomu okolo Rzadu Mieiskiego stanowicz, iedno I.K.M. Gdyss to kazdemu w swym mieście wolno, a thess w radzie mussa bycz godny liudzie, yaczy ssą w onym mieście. A czo ssie Bye-czanow dotycze, ta rzecz wyssy na rozathku I.K.M. miedzy niemy a miedzi Starostam Byeczkiem.

67. O drogy pozwalacz raczy I.K.M., chyba drogi, ktoru gidzie z [S]ąmborza do Vągier, ktoru yesth pothrebnna na then czass, a s czaszem mogla bendzie bycz zarąbiona.

68. Bändzie raczyl Commissarze Iego C.M. wedlie prosby Panow Poslow Kuyawskich dacz.

69. Okolo miedzi thrzebaby w to tak ugadzacz, aby chcąc pozythek uczynicz Coronie, skoda iaka nye byla. A czy, ktorzy yą w reku mayą, yndzie ssie ss nią nye obroczily, a Cracowianye ieszły yą thaney mayą, thedy za tho, yss yą przes sklath swoj przepuszczają.

70. Acz rosumie Iego C.M. tytul then Vicesgerenta bycz skodliwy Koronye s pewnych przyczyn, ktorych ssie tess Panowie Poslowie obawiaya, alye isz Pan Voiewoda Mazowieczki przywilieie na tho ukazal w then czass dane, gdy Mazowsze do Coronny przystempowalo, nye moze Iego C.M. bess przyzwolenia iego y Castellanow a Poslow Mazowieczkikh skazic平 go, a w they rzeczy uczyni Iego C.M. czo bändzie powinien.

71. Nye wie Iego C.M. nikogoi takiego, ktory by nye byl slyachczicz a w radzie ssiedziecz mial, ani na potomne czassy chczielby Iego C.M. ządac w rade swą kogo ynnego, ktory by nye byl rodu sliacheczkiego.

72. Xyaze Iego M. Pruskie ma powinnowaczthwo swe przywilieiem opissane, wedlie ktorego zachowacz ssie Iego C.M. bändzie raczyl. Alie yss tego w przywilieiu nye mass, aby Iego M. myal na Syem vzywan bycz, nye szda ssie Iego C.M., aby to brzamie na Iego M. klasz mial, a Coronie w czo nowego wwiesz.

73. Iuss iesth myanowanow w pierwszych articuliech, czo Krol Iego M. ku opatrzenyu thei rzeczy uczynicz bendzie raczyl.

74. Crol Iego M. rad by to wydzial, aby panisthw I.K.M. pelno bylo liudzi godnych w Koronye, tak polskiego narodu, yako y czudzosiemczow, alie tego nie chcze dopuscic平, aby liudzie czi, ktorzi ssą s ginnych panysthw vygnany, zeby ssie w panisthwach Iego C.M. chowacz miely, tego Iego M. dopuscic平 nie moze y dla opiskow starych s Koronną Czeskąm y Domem Rakuskiem, y dla statutu coronnego, ktory iasnie tego brony, ktory yako ynsze wssytko wedlie powinnosczi swey zachowacz chcze Iego C.M., tak yako iesth napissano, a isz dany ssą listhy, aby taczy liudzie w Coronie przymowany nie byli, tho nie iesth nowa constitucia, alie starego statutu exequucia, ktorą Iego C.M. s zwolienia rad swych uczynicz raczyl.

75. Iego C.M. the proszbę wedlie prawa pospolitego y statutu zostawuye y wedlie niego starostom ssie zachowacz roskaze.

76. Okolo vängierskich krzywd do Commissarzow Iego C.M. odszyłacz raczy, ktorzy wiedzą, bo ginaczy pokoy koronny srusson by bycz mussial.

77. Roskasze Iego C.M. starosthom, aby w ssabiegi gospodz slachcie w mieściach rosdawali, alie tak, aby kazdy mieszaninowi thak o dług, yako y o krzywde, ktory pod themy zabiegi contraxisset, praw przed starostą byl nie excipuiąncz ssie ad districtum, y dosicz uczynicz.

78. Nowa to rzecz iesth w uszu Yego C.M. okolo anthidath, bo thakowe rzeczy szacznego panowania Iego C.M. swyadomoscią nye bywalo, a thak rad by vydzial Krol Iego M., aby Panowie Poslowie mianowali, kto by antidiati thakowe dawał, aby ssie vinny ukazal. A cznothliwi liudzie, ktorych Iego C.M. uzywacz raczy, nyewinne w domnimanye wodzeni nie byly, bo stąd nie iedno ym, alie y Iego C.M. zelsywoszcz nieszie.

79. Okolo malszenystwa yuss Iego C.M. dossycz na lonyiskim Seimye powiedzial, y sthrzegąc w them voliey Boszey y powinnowaczthwa swego, odmienicz tego nie mogl. A tak y na then czass nie sda ssie Iego C.M., aby czo ginszego odpowiedziecz myal.

80. Iego C.M. raczy wiedziecz powinnowaczthwo swe, ktore iesth Krolewey Iei Mczi, mathce swey,<sup>2)</sup> za ktorim by nyerad, aby przywilie Iei Mczi narussone miały bycz, poniewass kasdermu ynnemu naymnieszemu vynien ye chowacz, alie widzi, sze ssie liudzie obawiąią, aby s oprawy Iei Mczi yaka thrudnoscz Koronye nie uroszla, a powinnowaczthwo I.K.M. koronne doczyska, aby themu zabiegal, poniewass slyssal s Panow Rath swych, yssby miało bycz czo w niey skodliwego. Rosumie themu, ieszli czo by, yss iesth pothrzeba, aby ssie naprawilo, czo iakoby miało bycz, a kedyby do tego przyszcz, Rady Ich M. winny o them radzicz Iego C.M. benda.

### Articuli

Przepomnielismy articulu okolo czudzosiemczow, aby starostw ani dzierzaw nye thrzymaly wedlie statutu Ludovici, t. 41 Cassovie; prosiemy, aby W.K.M. przy tym stathuczie nass zachowacz raczyl.

Thaksze thess tego przepomnyely: Slyachta Sądeczkiego y Bieckiego powiatu prossą Iego C.M. o droge, ktorą idzie staradawnego zwyczayu z Wengier na Spiskie myastha do Lyubowlie, a s Lyubowlie przed Krepac do Starego Szanca Polsky, abowiem iesth nyemalo listhow w slacheczkich domiech, ktore nadaly przodkowie Iego C.M. ode dwu szeth lath na mytha, a takie tes przywilie na mytha mayą panny sakonu Starego Sąńca. A gdzieby droga nie miala ich na thy miastha wedlie starego zwyczayu, obrazilo by wolnosci lystow nadania od przodkow Iego C.M. O czo powtore prossą, aby ta droga byla obroczena na Stari Sądecz wedlie starego zwyczayu.

- a) *in margine*: Stoyą przy prosbye pierwszych articulow.
- b) *in margine*: Stoy K. Iego M. przy odpowiedzi, bo ssią zda zlussną y C. Iego M. y Panom Radom.
- c) *in margine*: Contra privilegium 1537.
- d) *in margine*: Placet 41 +
- dd) *suprascriptum pro expuncto*: rozkaze
- e) *in margine*: Placet 42 +

- f) *in margine*: Przy prosbie pierwszej stoyem y prossim, abyśmy bili w ty wysłuchany.
- g) *in margine*: Statutum est contrarium Cazimiri, fo. Xa. Et alia permulta statuta.
- h) *in margine*: Przy pierwszej swej prosbie stoyem. Est contrarium statutum, fo. 10 (Contra statutum expunctum).
- i) *in margine*: Przy pierwszej prosbie stoyem.
- j) *in margine*: Stoy przy odpowiedzi C. Iego M.

- k) *in margine*: Przy prosbie pierwszey i przy statuczie stoyem.  
 l) *in margine*: Zostaye przy odpowiedzi.  
 m) *in margine*: Przy swey prosbie stoyem.  
 n) *in margine*: Statutum requiratur.  
 nn) *sequitur expunctum*: nicz  
 o) *in margine*: Responsum prius retinet.  
 p) *in margine*: D. Placet 43 +.  
 r) *in margine*: Przy prosbie stoyem.  
 s) *in margine*: P. Chcze Iego C.M. exequuicię czynic, nie kazycz.  
 t) *in margine*: Przy prosbie stoyem. P.  
 u) *in margine*: Przy prosbie stoiem.  
 v) *in margine*: Przy prosbie stoyem.  
 w) *in margine*: Przy prosbie stolem, aby kasdy rok Syem byl. Ita ut responsum est.  
 x) *in margine*: Przy prosbie stoyem. Ita ut responsum est.  
 y) *in margine*: Contra proposicie seimowej.
- ab) *in margine*: Placet. Powiemy 44 +.  
 ac) *in margine*: Sit iuxta vetus statutum. Prosiemy sit 45 +. P.  
 ad) *in margine*: P. 46. Placet.  
 ae) *in margine*: Przy prosbie stoyem, ut supra.  
 af) *in margine*: Przy prosbie stoyem. Ut responsum est.  
 ag) *in margine*: Przy prosbie stoyem. Satisfactum est peticioni.  
 ah) *in margine*: Wpiszacz miedzi wisluchane. Przy prosbie stoyem. Secundum statutum fecit.  
 ai) *in margine*: Przy prosbie stoyem. Secundum statutum.  
 aj) *in margine*: Przy prosb[ie].  
 ak) *sequitur expunctum*: A wsakoss tak yakoby skoda w thym nye byla.  
 al) *haec propositio pro verbis expunctis super scripta est.*  
 1) Stanislaus Hosius.  
 2) regina Bona.

N. 1246.

Petricoviae, 28.VII.1550.

*Ioannes Tęczyński, palatinus Sandomiriensis,  
 Alberto in Prussia duci  
 oratoribus ducis, Assuero Brandt et Lucae David, se ad omnia oretenus  
 respondisse significat.*

Sigill.

H B A, B 2, K.380.

N. 1247.

Petricoviae, 29.VII.1550.

*Iacobus Przyłuski, notarius castri Premisliensis,  
 Alberto in Prussia duci  
 de causa repurgandae religionis in Comitiis non confecta; de nullo tributo ad defensionem Regni constituto; de iurium executione ad proxima Comitia reiecta; de magistratibus contra statuta Regni distributis; de regis in Lithuaniae profectione dilata.*

Sigill.

H B A, B 2, K.380.

Illustrissime Princeps, etc.

Literae ab Illustrissima Celsitudine Tua hac hora mihi sunt redditiae, ex quibus ego liquido intellexi, quam clementer mea erga se officia acceptare dignatur. Ne itaque benignitate Tuae Illustrissimae Celsitudinis segnior factus esse videar, ea, quae et me scribere et Tuae Illustrissimae Celsitudini ex me scire par est, paucis significabo, atque hoc praecipue, quod Regni Comitia, praeterquam quod iura municipum

Regni confirmata sint, infectis propemodum rebus aliis omnibus soluta sunt. Nam studia<sup>a)</sup> legatorum pro restituenda religione magna alacritate<sup>b)</sup> suscepta, pontificum temeritate infecta sunt. Quod autem magistratus praeter statutorum Regni prae scriptum multis dati sunt, prae teraque complures regii fisci bona contra ipsorum statutorum dispositionem occupant, earum iuris laxationum sive exequutio sive censura in futura Regni Comitia est reiecta. Tributum etiam Regni defendendi causa, tametsi diligenter exigebatur, benigne etiam a Senatu offerebatur, a legatis tamen nullum concessum est, sed spem tuendorum finium in communi expeditione sitam esse voluerunt. Quod cum ita factum sit, Sacra Regia Maiestas suam in Lithwaniam profectionem, causa Conventus omnibus Regni Ducatibus indicendi necessariam, se mutaturam respondebit, ne, si hinc excederet, Regnum hostium praedae exponatur. Atque ea sunt, quae hic magna contentione agebantur...

Petrikoiae, tertia feria post Iacobi, anno Domini 1550.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Tuae  
servitor perpetuus  
Iacobus Prilusius.

a) *correctum ex: studium*

b) *suprascriptum pro expuncto: studio*

N. 1248.

Londini, 29.VII.1550.

*Ioannes Łaski*

*Alberto in Prussia duci*

*de negotio mutui pecuniarii per ducem Prussiae a rege Angliae petendi;*  
*de successibus regis Galliae; de marchione Alberto; de incerta spe*  
*pacis inter imperatorem et regem Angliae; de magna classe in Hispania*  
*contra Angliam paranda; de Ecclesia propria peregrinorum in*  
*Anglia instituta.*

*Sigill. Autogr. (partim in ciphera).*

*Iam ed. Kuyper, vol. II. pp. 642 sq. (sub dato erroneo 19.VII.1550).*

*H B A, B 2, K.380.*

*Illustrissime Princeps, etc.*

Quod post meum hoc adventum nihil adhuc scripserim ad Tuam Celsitudinem, non aliud in causa est, quam quod non prius de rebus omnibus, quae ad Tuam Celsitudinem pertinerent, certior fieri potui. Nunc autem factus certior indicare omnia volui Celsitudini Tuae.

Ac primum exposui<sup>a)</sup> Cantuariensi Archiepiscopo<sup>1)</sup> petitionem Ducis Prussiae pro mutuanda pecunia, sed is respondit hoc anno id frustra petendum esse propter debita Regis Angliae<sup>2)</sup> et quia iam aliis in Brema aliquid datum esset, nempe Comiti Mansfeldico<sup>3)</sup> et Domino Heideck.<sup>4)</sup> b)  
Caeterum<sup>a)</sup> si Dux Prussiae et Prussia coniunctim velint favere ipsi Regi Angliae, ut post hunc Caesarem habere Imperium possit, tum Rex Angliae velle<sup>z)</sup> eis non contempnenda auxilia dare ad hunc alterum annum. Hec erat summa responsi.<sup>b)</sup> Quod ad eam rem attinet,<sup>a)</sup> nolunt tamen

quidquam huius per nuntios agi propter suspitiones, sed per secretas saltem litteras ad nuntios transmittendas.

De pace cum Rege Galliae<sup>5)</sup> nulla est dubitatio, omnia enim ex ipsis sententia sunt confecta. Habet Bononiā,<sup>6)</sup> retinet Scotiam usque ad annum decimum octavum ipsius Regis Angliae, ut postea arbitramento res transigatur, et retinet filiam Scotiae,<sup>7)</sup> atque pro his omnibus dat sexcenta milia coronatorum. Iam dedit quadraginta et adhuc obsides hic habemus pro ducentis milibus. Haec certa sunt. De filia Regis Galiae<sup>8)</sup> ipsi Regi Angliae danda nihil est conclusum. Oblata est quidem ab Rege Galliae, sed non prorsus acceptata etc.

De protectore<sup>b)<sup>9)</sup></sup>

 quae ad Tuam Celsitudinem perlata sunt,<sup>a)</sup> vana prorsus sunt. Est rursum preses totius consilii Regis Angliae primo loco ante omnes,<sup>b)</sup> sed propter<sup>a)</sup> solam negligentiam duntaxat capiebatur, et quod autoritatem reliqui Senatus contradicere videbatur.

De Marchione Alberto ne cogitandum quidem est, sed istae sunt technae Caesaris, ad fallendum maritimā civitatis conflictae.<sup>b)</sup> Imo vero non est<sup>a)</sup> certa spes pacis inter Caesarem et Angliam.<sup>b)</sup> Nuper<sup>a)</sup> venerat clam ad portum quandam hic in Anglia cum octo navibus ipsius Caesaris Cornelius Scheperus, ut sororem Regis Angliae maximam natu, Dominam Mariam, furtim abduceret.<sup>b)</sup> Sed re ad Senatum temporī delata,<sup>a)</sup> mox est prospectum, ut nihil facere potuerit adeoque et vix cum suis navibus aufugerit.<sup>b)</sup> Unde demum nova<sup>a)</sup> belli occasio expectatur maiorque est nunc hic metus belli cum Caesare, quam spes pacis,<sup>b)</sup> tantum abest,<sup>a)</sup> ut opera Marchionis Alberti Rex Angliae uti velit.<sup>b)</sup>

Praeterea est hoc allatum<sup>a)</sup> in Hispania parari magnam classem missasque eo ab Caesare omnes machinas, in Germania pridem acceptas, ad instruendam classem illam. Hanc classem metuit in se strui Anglia.<sup>b)</sup> Sed alii putant<sup>a)</sup> contra maritimā civitatis eam instrui,<sup>b)</sup> quod ipsum et ego credo et metuo, ne quid ante hyemem etiam fiat, quod forte non expectatur.

Nos hic divino beneficio peregrinis omnibus Ecclesiam impetravimus cum libertate instituendi ceremonias nostras et disciplinam ecclesiasticam iuxta verbum Dei et Apostolorum observationem. Huic Ecclesiae me Rex praeesse voluit. Itaque nostrum ministerium brevi, per Dei gratiam, ordiemur. Peragentur sacra omnia lingua Germanica et Gallica, quod hae nationes sunt hic frequentissimae, quibus alii quoque adiungere se poterunt. Et speramus frequentem fore nostram hanc Ecclesiam, quam equidem ita instituere conabimur per Dei gratiam, ut nullis postea mutationibus opus habeat, neque illius institutio facile eos offendat, qui sibi verbi divini autoritate satisfieri patiantur. Alia iam non habemus, nisi quod ego me Celsitudinis Tuae clementiae totum summa cum obseruantia commando et Deum precor, ut nobis Tuam Celsitudinem et eius familiam servet, gubernet et augeat, pro bona voluntate sua, ad sui nominis gloriam et Ecclesiae protectionem. Amen. Londini, 29 Iulii, anno 1550.

Tuae Celsitudini Illustrissimae,  
Domino meo clementissimo addictissimus servitor  
Ioannes a Lasco manu propria.

a)-b) in ciphera, solutum in folio separato.

5) Henricus II.

2) sic in ms.

6) Boulogne.

1) Thomas Cranmer.

7) Maria Stuart.

2) Eduardus VI.

8) Elisabeth?

3) Mansfeld.

9) Ioannes Dudley, comes in Warwick.

4) Georgius ab Heydeck?

N. 1249.

Cracoviae, 5.VIII.1550.

*Stanislaus Cikowski de Wojsławice*

*Alberto in Prussia duci*

*pecuniam duci debitam consilio Ioannis Wunsam (in ms. Vunszan), civis  
Cracoviensis, apud eum se deposuisse nuntiat scireque cupit, an hoc  
facto indignationem ducis sibi non conciliaverit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.380.*

N. 1250.

Cracoviae, 7.VIII.1550.

*Samuel Maciejowski, episcopus Cracoviensis et R.P. cancellarius,*

*Alberto in Prussia duci*

*oblata sibi occasione, ducem salutat; de adventu imperatoris Augustam  
ad Comitia Imperialia et de infrequentia principum ducem alioquin  
scire arbitratur et nuntiat de imperatoris indignatione propter comi-  
tem de Mansfeld a duce receptum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.380.*

*Illustrissime Princeps, etc.*

Cum Regia Maiestas ad Illustrissimam Dominationem Vestram cer-  
tis de negotiis, ad ipsam pertinentibus, cubicularium suum mitteret, non  
putavi mihi committendum esse, pro singulari mea erga Illustrissimam  
Dominationem Vestram observantia, quin aliquid ego quoque illi scriberem,  
quo studium meum erga ipsam testatum facerem. Novi hic nunc  
nihil est, nam de adventu Caesaris Augustam ad Comitia ac de infre-  
quentia Principum aliunde scire Dominationem Vestram Illustrissimam  
arbitror. Illud non puto mihi praetermittendum esse, quin significiem  
Illustrissimae Dominationi Vestrae me secreto admonitum esse permo-  
leste ferre Caesaream Maiestatem, quod Comes de Mansfelt<sup>1)</sup> apud  
ipsam receptum habuerit...

Datum Cracoviae, VII Augusti, anno Domini MDL.

<sup>a)</sup> *Vestre Illustrissime Dominationis  
humilis servus et capellanus  
Samuel Episcopus Cracoviensis  
et Regni Polonie Cancellarius.<sup>b)</sup>*

*a)-b) manu propria.*

*1) Volradus a Mansfeld*

N. 1251.

Srzeńsko, 16.VIII.1550.

*Barbara de Kościelec Srzeńska, palatina Plocensis,*

*Alberto in Prussia duci*

*nomine reginae Bonae et reginularum ducem salutat earumque propen-  
sionem ei declarat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.380.*

Cracoviae, 17.VIII.1550.

*Samuel Maciejowski, episcopus Cracoviensis et R.P. cancellarius,  
Andreae a Górką, castellano Posnaniensi,  
de Philippo Padniewski Senatus consulto ad Comitia Imperialia Augu-  
stam prefecturo et de cardinali Augustano [Ottone Truchsess] a  
summo pontifice [Julio III] legationi in Poloniam in rebus religio-  
nis destinato nuntiat; praeterea mittit exemplum litterarum cuiusdam  
cum novis ex Italia et Germania.  
(Exemplar)*

*(Annexum: exemplum litterarum cuiusdam ad Samuelem Maciejow-  
ski, probabiliter a Górką duci missum)*

H B A, B 2, K.380.

Illustris et Magnifice Domine, etc.

Pro vetteri<sup>z)</sup> illo ac constanti meo erga Illustrem et Magnificam Dominationem Vestram studio, quoties vel scribendi facultas, vel mitterendarum litterarum commoditas, vel argumentum idoneum mihi obtingit, pretermittere non soleo, quin ad Illustrem et Magnificam Dominationem Vestram litteras dem. Gratum enim officium id accidere illi ex me iudico, cui pergratae illius litterae, si quando adferuntur, esse solent. In publicis negotiis nihil nunc hic geritur, quod Illustris et Magnifica Dominatio Vestra ex Maiestatis Regiae atque iis comitialibus litteris intelligere non possit.

Ad Comitia Augustana Dominus Padniewski ex Senatus consulto tertio abhinc die est prefecturus.

Accepi ex litteris cuiusdam Reverendissimum Dominum Cardinalem Augustanum huc a Summo Pontifice Legatum adventare. Ea de re nihil ad Maiestatem Regiam scriptum est. Mihi duntaxat quidam id significavit, cuius litterarum exemplum Illustri et Magnifica Dominationi Vestrae mitto, ut et extera, de quibus ad me scriptum in illis est, cognoscat...

Datum Cracoviae, XVII Augusti, anno Domini MDL.

Vestrae Illustris Dominationis servitor  
Samuel Episcopus Cracoviensis et Regni  
Poloniae Cancellarius.

<sup>z)</sup> sic in ms.

*Annexum: exemplum litterarum cuiusdam ad Samuelem Maciejowski.*

Illustrissime Domine, Maecenas Colendissime.

Mei officii esse existimo, tanquam apud Maecenatem, memoriam mei conservare gratumque animum pro acceptis beneficiis demonstrare. Scio Illustrissimam Dominationem Vestram summopere admirari Illustrissimum Dominum Brunswicensem<sup>1)</sup> tam lente procedere. Sed non sine causa fuit, quam his litteris Reverendissimae Dominationi Vestrae visum significare. Illustrissimus Dux Brunswicensis naturale fere habet odium cum maritima civitate, quam vocant Brunswick. Ea est potentissima. Hanc Princeps his superioribus diebus aggressus est, conscripto satis magno equitatu, victualia civitati impediebat, ut eam hac ratione cogeret ad conditions pacis suo modo. Quam iniuriam ulterius pati

non poterant. Sed etiam confisi viribus, omnem suum equitatum selectissimum extra civitatem eduxerunt, et cum Duce ilico ad levia certamina, milites suos mittebant. Sed Dux, post tot privata certamina, cum omnibus copiis decertare constituit. Atque cum maximo applausu suorum ad arma conclamatum fuit. Uterque fuit proelium inire bene contentus. Dux multos et precipuos ex suis amisit, sed tamen ad extremum Victoria penes Duxem fuit. Cuius nunc eventus expectatur. Quod si ipse non venerit, Oratores mittet, qui etiam huic negotio finem impONENT.

Caesarea Maiestas Augustam venit ad celebranda Comitia VIII Iulii, non tam cum magna aula, quam fere cum iusto exercitu. In ingressu civitatis precedebant Suam Maiestatem Dux Sabaudiae<sup>2)</sup> cum Duce quodam ex Flandria,<sup>3)</sup> sequebatur filius Caesareae Maiestatis<sup>4)</sup> cum Rege de Feles ex Africa,<sup>5)</sup> deinde Caesarea Maiestas cum Rege Romanorum, postea Reverendissimus Dominus<sup>6)</sup> cum Duce Albano. Hos secuti sunt Duces de Hispania, ante pallium Suae Maiestatis astabat Comes de Hasow,<sup>7)</sup> habens duo millia Germanorum peditum cum quatuor vexillis erectis, et quam primum Caesarea Maiestas ex equo descendisset, signa leticiae sclopetis confirmarunt. Haec erat illius diei pompa.

Ante ingressum Caesareae Maiestatis venit Fridericus Dux Saxoniae, captivus. Is ducebatur, tanquam in triumpho. Vehebatur enim curru non cooperto, praecedebant 400<sup>a)</sup> pedites Hispani pedetentim, qui nunc astabant, nunc letitiam sclopetis demonstrabant. Sequebantur currum 300 equites Flandrici gravis armatura. Res incredibilis, quam forti et constanti animo fert hanc adversam fortunam, et, quod maius est,<sup>b)</sup> habet maximum erga se animum totius vulgi. Nihilominus ille in vultu ea pree se fert et tanta constantia, quasi penes illum victoria esset. Landgravius<sup>8)</sup> vero mansit in Flandria, non ita pro dignitate tractatur, prout Dux Saxoniae,<sup>9)</sup> uterque iam de libertate spem amisit. Sed dignas tantae seditionis poenas luunt.

Ex Italia haec sunt nova. Andreas Doria in Aphrica multas civitates iam occupavit, misit Neapolim pro supplemento navium. Constituit enim persequi victoriam.

In Republica Senensem inter precipuas familias magna seditio fuit. Caesarea Maiestas a multis annis hanc occasionem desiderabat. Quae cum esset oblata, non eam neglexit atque incontinenti iussit extrui fortalitium, ut tutior esset in possessione. Multorum animos haec res offendit, quod in tantam servitutem totam Italiam vellet subigere. Sed Caesarea Maiestas se excusat, quod facit propter pacem publicam. Interim possidet et tacet more solito.

Summus Pontifex<sup>9a)</sup> Reverendissimo Domino meo litteris<sup>c)</sup> significavit, uti susciperet legationem in Regnum Poloniae propter componendum negotium religionis et has seditiones subditorum<sup>c)</sup> contra Serenissimum Regem Poloniae. Sed Reverendissimus Dominus meus nunquam maioribus negotiis privatis magis fuit impeditus, quam nunc temporum. Inter caetera habet duo precipua negotia. Unum est contra Illustrissimum Duxem Wirtembergensem,<sup>10)</sup> quod in principio belli Rhenani invaserat illius statum, ante non indicto bello.

Secundum est cum Capitulo Augustano, qui promiserunt Reverendissimo se persoluturos expensas belli, si reducerentur in illorum pristinam dignitatem. Nunc cum hoc totum negotium deductum est opera Principis mei, magna cum iactura rerum suarum summoque discrimine vitae, promissa praestare nolunt. Contra quos iam fecit protestationem et vult iuridice procedere. Nihilominus tamen Sua Reverendis-

sima Dominatio Sanctitati Suae rescriptsit et legationem acceptavit, sed tamen petiit, ut aliquantulum differretur, donec haec sua negotia aliquod principium habeant. Quod munus legationis vult obire cum maxima autoritate amicorum suorum. Promisit Sua Sanctitas se celebraturam Generale Concilium, ubiunque Caesarea Maiestas voluerit, tum pro sua experientia adiunxit clausulam: consentiente Rege Galliae. Favet multum, non tamen aperte, factioni Galliae, sed veretur potentiam Imperatoris.

Caesarea Maiestas iniquo animo tulit, quod nullum omnino Principem Augustae reperiit, neque Oratores illorum. Electores se excusarunt, quod non possint personaliter adesse, Palatinus Reni<sup>11)</sup> adversa valetudine, Marchio Brandenburgensis<sup>12)</sup> propter inimicitias civitatum maritimorum, Dux Saxoniae Mauritus suspecte seditionis nobilium et civitatum maritimorum, quas in vicinia habet. His et aliis cavillationibus excusationes querebant. Sed re ipsa alia in causa fuerunt. Quia Caesaream Maiestatem suspectam habent, quod in his Comitiis vellet tractare de successione filii. Quorum excusationem non acceptavit, sed per equos dispositos ad quemlibet illorum litteras expedivit, ut personaliter compareant.

Illud etiam certo apud se Caesarea Maiestas constituit: negotium religionis serio aggredi, pacem et concordiam stabilire.<sup>d)</sup> Illud, sine aliqua seria demonstratione, vix facere poterit. Consulent de eiiciendis praedicatoribus huius sectae et prohibendis libris Lutheranorum. Faxit Deus, ut aliquid boni efficiant.

Has litteras, quarum hoc exemplum est, Suae Maiestati Reginali<sup>13)</sup> misi et in eis quiddam de Illustritate Vestra et Illustrissimo Domino Prussiae scriptum. Verum ego, dum exemplum describi iussi, nolui, ut haec clausula exscriberetur, ne videlicet ab omnibus iis legeretur, ad quos mittere exemplum hoc statueram. Interea autem ipsum autographum mittere, posteaquam remissum a Maiestate Reginali fuisse Illustratati et Magnifica Dominationi Vestrae decrevi. Nunc, quoniam hactenus remissum non est, nolui, ut interim id, quod aliis vulgatum a me esset, ignoraret Illustritas Vestra. Ubi vero autographum repetiero, clausulam hanc quoque descriptam mittere non negligam.

a) sequitur expunctum: milites

6) Otto Truchsess.

b) in margine.

7) comes de Nassau, Guelmus de Orangia.

c) supra lineam.

8) Philippus, landgravius Hassiae.

d) sequitur expunctum: non potest

9) Ioannes Fridericus.

1) Henricus II.

9a) Iulius III.

2) Emmanuel Filibertus.

10) Utricus.

3) Egmont.

11) Fridericus II.

4) Philippus.

12) Ioachimus II.

5) Mulay Hassan.

13) Bona.

N. 1253.

Srzeńsko, 21.VIII.1550.

Barbara de Kościelec Srzeńska, palatina Plocensis,  
Alberto in Prussia duci  
centum oves Silesicas ex capitaneatu Dzialdoviensi sibi vendendas petit.

Vest. sigilli.

(Schedula adiuncta de reginae Bonae Lomzam venationum causa  
proxima projectione).

H B A, B 2, K.380.

Cracoviae, 28.VIII.1550.

*Samuel Maciejowski, episcopus Cracoviensis et R.P. cancellarius,  
Andreae a Górką, castellano Posnaniensi,  
mittit promissum supplementum ad litteras, suis de die 17.VIII. inclusas,  
ad Andream a Górką pertinens; scribit aliqua nova de Turcis, Tartar  
ris et Valachis.*

(*Annexum: de rebus Germaniae; de « sinistra fama » Andreae a Górką*)  
(*Exemplar*)

H B A, B 2, K.380.

Illustris et Magnifice Domine, etc.

Quod eram<sup>a)</sup> Illustri et Magnifica Dominationi Vestrae pollicitus missurum illi me eius epistolae, quae ad me ex aula Serenissimi Romanorum Regis scripta est, reliquam partem, in qua de Illustri et Magnifica Dominatione Vestra scriptum est, id nunc praesto, posteaquam mihi haec epistola a Maiestate Reginali remissa est. Mihi dolet rumores istos de Illustri et Magnifica Dominatione Vestra nulla eius culpa spargi, et propterea id significatum illi esse volui, ne ea, quae pertinere ad eam putarem, caelare me queratur ac ullum amiciciae officium requiri in me possit.

Ego cum omne vitae meae tempus amicorum negotiis traducendum putarem vitamque acerbam esse existimarem, ex qua aliqua pars ad amicorum usus derivari non videretur, cumque eos, quos mihi omni officii ac studii genere demerendos statueram, operam meam vel exosam habere vel inutilem sibi ducere viderem, valetudo mea, veluti indignata, inutilem se ad finem mihi propositum esse, me destituere coepit. Quare quicquid hoc morbi est, id totum iis, quibus inutilis fieri video, acceptum referam oportet. Quos simulac pristinam erga me benevolentiam resumere intellexero, nihil dubito, quin fugitivam hanc valetudinem sim recuperaturus.

Qui res repetitum ad fines Thurcicos publico Comiciorum decreto missi sunt, scribunt nondum sibi cum Thurcis de loco convenire eaque se causa Podwisczki<sup>1)</sup> aulicum Maiestatis Regiae, ad illos misisse. Esse non parvum hostium numerum in armis ex Thurcis, Thartaris, Valachis collectum significant.

Valachiam sedicionibus esse perturbatam nunciant propter impotentem regiam dominationem, qui arbitrio suo in quoslibet saevire dicitur. Dilapsi praecipui quique sunt, pars in Hungariam, pars ad nos, inter quos est Praefectus Sorocensis, Niegun. Haec habui, quae scribebam ad Illustrem et Magnificam Dominationem Vestram...

Datum Cracoviae, XXVIII Augusti, anno Domini MDL.

Vestrae Illustris Dominationis servitor  
Samuel Episcopus Cracoviensis et Regni  
Poloniae Cancellarius.

a) in ms. coram

1) Adalbertus (« Farys »).

*Annexum: de rebus Germaniae; de « sinistra fama » Andreae a Górką.*

Quantum ad statum rerum Germanicarum attinet, sciat Illustris Dominatio Vestra non esse omnia pacata. Praeterea nova bella pullulant cum civitatibus maritimis, quarum Capitaneus est Comes a Mans-

felt,<sup>1)</sup> capitalis inimicus Cesareae Maiestatis. Hunc (prout volunt) Illustrissimus Dux Prussiae his temporibus superioribus suis expensis sustinuit et ad ultimum promovit. Faxit Deus, ne aliquando suo inquieto ingenio aliquid mali efficiat, quod multorum esset commune.

Illustrissimus Dominus Comes a Gorca sinistra fama laborat propter hos motus, qui nunc in Polonia excitantur. Omnes volunt illum esse huius rei precipuum autorem, neque is caret suspicione, quod sua consilia communicat cum adversariis Cesareae Maiestatis. Mihi non licet de tantis viris iudicare, consultius tamen mihi videretur fortunae suae adhibere modum.

1) *Volradus* (*Volrad*) *de Mansfeld.*

*N. 1255.*

*Augustae, 28.VIII.1550.*

*Iacobus Secygnowski, aulicus imperatoris,  
Alberto in Prussia duci  
novitates ex aula caesarea scribit et pro futuro servitia sua offert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.380.*

Illustrissime Princeps, Domine mihi Clementissime.

Multis et amplissimis beneficiis iam pridem me Excellentiae Vestræ devictum<sup>2)</sup> esse fateor, in primisque vitam mihi esse acerbam putem me hiis ex aliqua parte respondere non posse, praesertim cum et animus totusque in hoc conatus meus desideat, quod si non opus ipsum, saltem promptitudinem animi mei erga Excellentiam Vestram testarer, et id ipsum absque gratia et favore Excellentiam Vestram minime satisfactorus, nisi eandem fidem perspectam ac indubitatem a me diu iam Excellentiae Vestræ promissam intellexero. Et cum indies magis ac magis mecum in animo revollo, ut ea tentem cogitemque, necesse est me ex aliqua parte erga Excellentiam Vestram posse gratum testari beneficiorumque acceptorum, si non demeruisse, saltem intellexisse videber. Nunc itaque collectis omnibus rationibus, ac vitam agens in curia Caesareae Maiestatis, ubi et officium fidelis servitoris praestare possum et fidem de me apud Excellentiam Vestram iam diu conceptam facile comprobare, misi ad Excellentiam Vestram famulum meum cum litteris meis, nolens ea omittere, quod vel mei existimavi officii, vel quod Vestræ dignitatis vel et utilitatis. In primisque summam rerum novarum circa curiam Caesareae Maiestatis in hac Conventione, tametsi Excellentiam Vestram sciam non latere, sed cum putem id quoque esse mei officii, non supervacaneum videtur me ex mea parte Vestram Illustrissimam Excellentiam cerciorem reddere.

Caesarea Maiestas 8 Iulii cum multis Principibus ac militibus, ita ut iustus exercitus dici possit, Augustam intravit. Principes, qui venerunt, sunt: Rex Romanorum, is 4 Iulii ante introitum Caesareae Maiestatis Augustam pervenit; Philippus Princeps Hispaniarum, Rex de

Feles ex Africa,<sup>1)</sup> Dux Bavariae,<sup>2)</sup> Princeps de Piemonte,<sup>3)</sup> Dux Olsztensis,<sup>4)</sup> frater Regis Dacieae,<sup>5)</sup> ac alii Marchiones, Comites, qui circa curiam sunt. Equitum catafractorum gravis armaturae Flandros tria milia, qui Caesaream Maiestatem usque de Flandria sequebantur. Praefectus illorum Comes de Egmont. Alii equites Hispani sagitarii, sexcenti equi, qui Philippum Principem Hispaniarum ex Hispania in Germaniam sequebantur. Pedum vero duo milia Germanorum, horum Praefectus Comes de Nasaw.<sup>6)</sup> Hic iam Illustrissima Excellentia Vestra cognoscet introitum Caesareae Maiestatis Augustam, qui Principes ac quantus numerus militum in hac Conventione.

Tandem Principes Electores, quorum adventum Caesarea Maiestas usque ad diem 26 Iulii expectabat, non venerunt nisi duo: Moguntiensis,<sup>7)</sup> quem Philippus Princeps Hispaniarum ac Rex Romanorum congratulabantur adventum ad hospicium illius, ac Trevirensis.<sup>8)</sup> Caeteri vero suos Nuncios miserunt, excusando se, quod tam cito non possint venire, quemadmodum Mauricius<sup>9)</sup> propter nobiles in suo potentatu, ne in absencia illius aliquid contra illum mollirentur, Marchio Brandenburgensis<sup>10)</sup> propter impedimenta quarundam civitatum, Palatinus Reni,<sup>11)</sup> quod sit mala valitudine impeditus, Episcopus Coloniensis.<sup>12)</sup> Quorum cum ratio maxima in consilio habeatur sintque absentes, nihil minus Caesarea Maiestas 26 Iulii incepit consilium ac articulos infra scriptos in consilio per Cardinalem Augustanum<sup>13)</sup> proposuit, ac de his consultant. Ad quos articulos responderunt Status per Reverendissimum Dominum Moguntinum Electorem sese et diligentissime et obedientissime deliberatus.

Caesarea Maiestas non admodum est bene dispositus ac variis distractus, cum ex partibus Hispaniae nova bella, nova damna exoriuntur. Pirata enim in mari, nomine Fragut,<sup>14)</sup> accepit bello civitatem Africam multaque damna Caesareae Maiestati per mare et per terram intulit. Cuius vires in tantum evaserunt, ut etiam Caesarea Maiestas coacta Andream de Doria cum 12 millibus Hispanorum ac Italorum ad eam expugnandam mittere. Quae quidem iam est obsessa a tribus mensibus, eventus belli dubius, cum sex millia intra moenia militum offenduntur, deinde fortissima situ loci.

Nunc vero non ita pridem venerunt nova. Alter pirata, nomine Zerifa, in confinibus Portugaliae accepit civitatem fortissimam ac multum importantem provinciae Portugaliae, nomine Tremecen.<sup>15)</sup> Cuius potencia toti Hispaniae intulit pavorem. Faerunt<sup>2)</sup> enim illum habere exercitum 30 millia sagitariorum, ut etiam ipsis Hispanis minime caedant<sup>2)</sup> in hac arte.

Rex Franciae<sup>16)</sup> accepit vi unius nobilis castrum in confinibus Lucemburgensibus, qui neque Caesarianus neque Francus nominabatur. Quae res Caesaream Maiestatem commovit.

Quidam vero afirmant Caesarem sequenti anno bellum contra civitates maritimas illaturum, aut hoc anno milites tantummodo ad eas oppugnandas missurus. Faerunt enim hic palam sexaginta in numero civitates coniurasse ac Principes quosdam, Regem Dacieae, Ducem Augustum, Hans de Brandenburg, Dominum Poznaniensem,<sup>17)</sup> in quorum numero Excellentiae quoque Vestrae mentionem faciunt, idque a homine in hac curia magnae authoritatis intellexi.

Itaque non satis mihi adhuc constet,<sup>2)</sup> quid et quomodo deliberatur sint de hoc negotio in hac Conventione, nisi hoc intelligo Caesarem libenter ea videre, ut in Germania omnia fuissent pacata. Praeterea cum iam sit senio confectus, male dispositus, variis distractus, credo facilem

futurum. Deinde nescio quid monstri alunt, qualisne sit contentio de electione Principis Hispaniarum. Timeo, ne et gens contra gentem converget. Et ut facilius potuisset alteram expeditionem facere contra Mauros ad Argel,<sup>18)</sup> iam toties Hispani praecantur Caesarem, quod si non solus, saltem Philippum Principem eorum cum exercitu mitteret contra hunc inimicum. Itaque sine dubio statim, finita Conventione, si non solus, Philippum certo in Hispaniam cum armata missurus. Rex enim de Feles ex Africa venit petitum Caesaream Maiestatem, tanquam ad suum tutorem, cuius partibus ille favebat, quatenus Caesarea Maiestas contra hunc tyrannum nomine Zerifa, a quo ille ex Regno pulsus, et consilio et auxilio eum adiuvaret. Aut si Caesareae Maiestati hic in Germania ex sententia illius res succedent, certum est illum profectum in Italiam, nam illic diu fuit. Deinde si potuerit bellum contra Regem Franciae inferre propter Savoiam, ex illa parte facilius et commodius illi res procederent. Et sine dubio, tametsi certo nescio, quando aut cui primo indicet bellum, hoc certe mihi constat anno sequenti fore bellum.

Alia, si quae inveniuntur, ea committo meo famulo, harum litterarum tabellario probatae fidei. Quae vero nunc scripta sunt, ita scripta sunt, ut nihil praeter firmam probatamque fidem denuncient, et ad quecunque servicia obeunda Excellentiae Vestrae necesse fuerit, ac ipsa me Excellentiae Vestrae comprobaturum certo polliceor servitoremque deditissimum, tantummodo Excellentia Vestra per litteras Excellentiae Vestrae indicare dignaretur, rogo. Ubi ego intellexero, Deo iuvante, eciam in rebus arduis Excellentiae Vestrae commode ac facile fungi officio fidelis servitoris potero. Fere enim omnes Principes in Europa, Illustrissime Princeps, habent suos circa curiam Caesareae Maiestatis, per quos redduntur cerciores de omnibus rebus. Certe iustum et idoneum est Excellentiam Vestram, tantum Principem, idem facere facturumque non dubito. Factura enim Excellentia Vestra rem Principe nobilissimam, mihi vero, Excellentiae Vestrae servitor ad hoc onus subeundum, longe gratissimam, et quicunque commendatum aut mandatum fuerit, cum summo opere, studio, toto denique conatu non praetermittam. Meque eo amore, fide Excellentia Vestra, liberalitate prosequi dignaretur, quo semper prosequuta est, Principes Dominusque meus clementissimus.

Data Augustae, 1550, mense Augusto, die 28.

Illustrissimae Excellentiae Vestrae deditissimus servitor  
Iacobus Seczygnowski  
Aulicus Sacrae Caesareae Maiestatis.

z) sic in ms.

1) *Mulay Hassan.*

2) *Albertus V.*

3) *Emmanuel Filibertus.*

4) *Adolfus.*

5) *Christianus III.*

6) *Guilielmus de Orangia, comes de Nassau.*

7) *Sebastianus ab Heusenstamm.*

8) *Ioannes ab Isenburg.*

9) *dux Saxonie.*

10) *Ioachimus II.*

11) *Fridericus II.*

12) *Adolphus III von Schaumburg.*

13) *Otto Truchsess.*

14) *Dragut.*

15) *Tremecen in Numidia.*

16) *Henricus II.*

17) *Andreas a Górka.*

18) *Algaria (Icostum).*

N. 1256.

Płock, 6.IX.1550.

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis, et Felix Srzeński, palatinus Plocensis,  
Alberto in Prussia duci  
rogant, ut ob grassantem pestem negotium regundorum finium in aliud  
securius tempus differatur.*

*2 sigilla.*

*H B A, B 2, K.380.*

N. 1257.

Płock, 21.IX.1550.

*Felix Srzeński, palatinus Plocensis,  
Alberto in Prussia duci  
se in ditione sua rigidissime mandaturum esse significat, ut ad finalem  
usque finium determinationem, quae ob contagionem pestis dilata  
esset, ab omnibus iniuriis et de finibus controversiis supersedeatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.380.*

N. 1258.

Strzyna, 24.IX.1550.

*Ioannes Policki  
Alberto in Prussia duci  
se iniuste a quibusdam diffamatum esse queritur; nuntiat de equis et  
bobus duci missis.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.380.*

N. 1259.

Lubaniae, 1.X.1550.

*Nicolaus Jarand Brudzewski, palatinus Lanciciensis,  
Alberto in Prussia duci  
in causa inter Albertum Finck et Gregorium de Gay Obornicki ad ducem  
appellat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.380.*

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de malo rerum publicarum statu conqueritur; nuntiat discessum sibi a  
rege prohibitum esse; refert de litteris universalibus regis deque  
eiudem controversia cum Conventu Regni; de regina Barbara eiusque  
futura coronatione; de Turcarum gestis in Hungaria, Moldavia et  
Valachia et de gestis imperatoris in Africa et Hispania; de episcopo  
Maciejowski, de cardinali Truchsess, de Georgio duce Megapolensi  
aliisque.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.380.*

**Illustrissime Princeps.**

Post meas postremas litteras, quas in fine Iulii aut inicio Augusti, Petrikovia discedens, ad Illustrissimam Vestram Dominacionem dedi, nulla mihi occasio mittendarum litterarum contigit, duos proxime præteritos menses rusticanti, non tam quidem oeconomiae aut aucupii causa, quam ut me aliquantis per a tristi rerum nostrarum facie subtraherem. Que quidem etsi meliorem aliqua ex parte colorem sumere videantur, re ipsa tamen mala initia male procedunt, nisi quod ab extra tranquillus apparent, dolore et metu in animis hominum de exitu cogitationum permanente. Sacrum, publicum, prophanum idem est. Petere honorem pro flagicio more fit, ambicio more sancta est, leges mori serviant, mores autem rapere properant etc.

Sed ad litteras Vestrae Illustrissimae Dominacionis. Cum hoc tempore nihil magis optem, quam ut Illustrissimam Vestram Dominacionem videam, vehementer doleo, quod eam adire non liceat, non tam propter pestem, que plurimis locis obviam esset, sed propter consensum Regiae Maiestatis, quem Petrikovia discedens impetrare non potui. Quo loco, ut video, tacuisse prestisset. Habui preterea (nec dum finivi) Regiae Maiestatis iuris caduci negotia quedam. Spe itaque videndi brevi Illustrissimam Vestram Dominacionem consolor, que nobis adventum suum pollicetur. Cui obviam ire (ita, ut scribere dignetur) constitui, ubi de tempore et loco scivero. Quod per breves litteras Craccoviam ad Ioannem Vonsam aut Erasmus Schiling dandas commode fieret. Quo ego intra 24 dies ire vellem, si quid contrarium non interveniat.

Porro, ut aliquid de rebus nostris clarius scribam, nullam video in eis mutationem ab eo statu, quem postremis litteris scripsi. Publicate sunt littere confirmationis a Regia Maiestate, quas hic Illustrissimae Vestrae Dominacioni mitto.\* Quibus, nescio quo consilio aut delirio, nuge quedam levissime addite sunt, cum gravissimas quasque res, tanquam ad se nihil pertinentes, obmiserunt. Publicate sunt preterea littere universales, ut vocant, contribucionis ducillorum, in omnibus bonis regalibus et primariorum secularium Senatorum ac omnium sacrificorum per unum annum exigendae. Tribuni enim plebis in communitatem nihil tale statuere voluerunt. Exigitur preterea contribucio, schos dicta, in bonis suprascriptis.

In eos vero, qui contribuere noluerunt (dicentes in malos usus se

non teneri) publicarunt litteras restium, id est belli generalis, primas et secundas. Quas etsi aliqui ex odio vel propter vindictam quandam, que puerilis et stulta esset, prodiisse existiment, ego tamen credo propter motus Hungaricos et Valachicos factum, de quibus infra.

Extant preterea alie quedam littere Regie Maiestatis, quibus ad petitionem tribunorum (magno serio factam) promittitur, quod ante finem anni 1551 generalis Regni Conventus celebrabitur, in quo inter cetera abusus, quibus in leges publicas peccatur in obtentis dignitatibus, officiis et possessionibus regiis, corrigi debent. Sed has litteras, faccione Palatini Cracoviensis<sup>1)</sup> etc. etc., tribuni accipere noluerunt, quamquam hoc paulo ante instantissime urgerent. Quod videns Regia Maiestas, dixit: Petiistis, inquit, autoritate publica solenniter, et ego promisi et verbo regio promitto me facturum, quamquam vos litteras mee fidei non accipitis. Dabuntur tamen et date sunt, qui habere voluit. Sed ego nunc eas habere non possum. Quod quidem nihil reffert. Hec est enim earum summa.

Ceterum coronacionem Domine Barbare, cum essemus Petrikovie, certo credebamus futuram pro festo Catherine, idque non vanis argumentis. Nec hucusque aliter credere facile possum, quamquam nunc prorsus sileatur et in dubium vocare quidam inciant. Ego quoque gestio et cogito, an id mala et irrecuperabili, ut scribunt, valetudine aut interim morte Episcopi Cracoviensis<sup>2)</sup> interrumpatur. Nam iste est omnium ceremoniarum magister et eiusmodi sycophanciarum caput non stupidum. Habuit autem male primum ex hydropisi et tumore pedum, nunc et venter tumescit durescens, tympanidem vocant hoc medici. Pestis est quidem iste homo religionis et synceritatis, sed valde metuo, ne peior sucedat. Nam nos, rebus sic stantibus, a sacrificis regemur, quamquam de tam astuto non futuro spes est.

Porro si coronacio futura est, ab Archiepiscopo<sup>3)</sup> erit. Nam et iste diu succubuit, nimirum quia beneficio eius sexus et eiusdem pudicicie ex asino factus est rex porcorum. An autem consensus Ordinum Regni ad eiusmodi coronacionem requiratur, hoc Episcopus Cracoviensis in dubium vocabat, sed non est dubium requiri, cum et ipsius Regis requiritur. Quod et hic in hac confirmatione inclusa renovatur. Non possumus tamen certi aliquid de hac re pronunciare, cum videamus et in aliis multis rebus leges contemtas. Quis est, qui dicet Regi: Non facias, non licet? Si toto Conventus proximi tempore ne verbum quidem quisquam dixit, publice vel privatum, de hoc matrimonio, nisi in confirmationem. Ubi et Dominus Posnaniensis<sup>4)</sup> et Palatinus Cracoviensis cum Marschalco Littwanie<sup>5)</sup> in unum spirare, magnificare et honores pre se defferre ceperunt. Cracoviam deinde veniens Palatinus Cracoviensis, Reginam magno honore in salutacione, deinde convivio in domo sua Craccovie, postac in arce sua Wisznice altero solennissimo per quadriduum excepit, Regia Maiestate presente et contentissima. Factique sunt amici ex illa hora. Iam nemo est ex Senatu, qui illi reginalem honorem non detulisset, excepto Castellano Posnaniensi, qui loco disiunctus semper fuit. Nunc videbimus, et credimus facturum, sicut ceteri. Et quid faceret ille solus, cum uno Palatino Sandomiriensi,<sup>6)</sup> qui itidem nondum salutavit, quamquam Craccovie sepius fuit? In summa succumbimus in causa.

Regina non intromittit sese ad negotia more Itale.<sup>6a)</sup> Intercessiones tamen eius multum, immo omnia possent, si eas multiplicaret. Sed non intercedit sepe, nisi pro hominibus, qui se sue faccionis esse impudenter gloriantur. Mihi scribitur (sed in aurem) Reginam Barbaram nihil

studiosius cogitare quam Priapum, Regem autem intrusis duobus dignis in cunnum, Craccovie securum desidere.

Ab extra, et primum ex Ungaria. Regia Maiestas, Dominus noster, scripsit nuper Senatoribus precipuis sibi certo significatum esse Cesarem Thurcarum<sup>7)</sup> ad Status Transilvaniae scriptis mandasse, ut Monachum<sup>8)</sup> officio thesaurariatus privarent, quod officium ille, invito Caesare Thurcarum, faventibusque Transilvanis, transfuga ad Regem Ferdinandum vult retinere. Quo intellecto, Cesar Thurcarum iussit Valachis et Moldavis exercitus colligere. Quod ubi Rex noster intellexit, litteras restium (de quibus supra) publicavit, addens, quod Petrowicz, primarius et potencior circa Reginam Isabellam homo, ad Thurcam descivit una cum filio Regis Ioannis,<sup>9)</sup> ut Senatores Sue Maiestati suam sentenciam apparirent.<sup>2)</sup> Instare enim magnum ex hac re periculum sorori Suae Maiestatis, quam deserere ut indecorum sit, ita Caesarem Thurcarum provocare et item Regem Romanorum irritare tutum non esse. Et ecce, dum hec scribo, afferuntur mihi alie littere, Craccovia 3 huius scripte, Regiam Maiestatem, cum ex Niepolomicze Craccoviam rediret, prius quam in arcem, ad Episcopum Craccoviensem descendisse invisendi gratia, ibique ad duas horas sola cum solo contulisse. Scribitur Episcopum, ut supra, habere, ventrem et pedes tumescere, reliquas corporis partes omnes siccescere. Qui gvaiaco uti cepit decumbens.

Scribitur preterea Cesarem Turcarum duos exercitus contra Monachum misisse, in Transilvaniam unum, alterum ad Cassoviam obsidenam. Cum Petrowicz constituisse, ut sit tutor filii Regis Ioannis utque tributum 6000 ducatorum in annum pendat, in signum superioris dominii, tam diu, donec reliquias partes, quas illi pupillo assignavit Cesar Turcarum, recuperaverit. Monachum eciam non parvam militum manum coegisse, sive Regis Romanorum viribus, sive suis. Scribitur enim ingenitum peccunie vim congregasse. Qui quidem Monachus itidem se pro pupillo, Regis Ioannis filio, extrema queque tentare velle dicit.

De Cardinali Augustano<sup>10)</sup> nihil possum affirmare, nisi quod scriptum vidi, quod fide dignum videbatur Cardinalem ad nos venire nomine Pape,<sup>11)</sup> ut differencias inter Regem et subditos et controversiam in religione componeret. Quamquam autem habeat Cardinalis quod agat, quia Ducem Wiertembergensem<sup>12)</sup> pro invasione suarum possessionum inicio belli proximi (non indicta hostilitate) in ius vocavit. Vocavit preterea in ius Capitulum suum, ut dicunt, Augustanum, qui, ut ille dicit, omnes impensas, quas in bellum prefatum fecit, se solvere promiserunt, si illos in statum pristinum restitueret. Nunc ubi restituti sunt, ut ille dicit, nihil tale faciunt. Tamen, ob affectum erga Regem et nationem Polonam, se sua negocia negligere velle et ad nos venire. Postea vero scribitur Cardinalem a Papa, Cardinalem a Cesare ad coronacionem, Cardinalem a quibusdam Germanie Principibus in causa matrimonii ad Regem Polonie venire. At ego nescio, si tres sunt in una pelle nebulones, qui ad nos veniunt, vel unus Cardinalis in tribus pellibus. Sed valde vereor, ne isti, sive iste Cardinalis, non veniat, ubi audiverit Episcopum Craccoviensem hoc pacto valere, qui caput omnium eiusmodi legacionum et author ac protector esset futurus. Quem etsi verisimile est ad 6 plus minus menses vivere posse, tamen decumbentem non facile eiusmodi practicis satisfacere.

Ex hiis circumstanciis Illustrissima Vesta Dominacio, quid sit in hoc casu sperandum, colligere dignabitur. Ego nihil affirmare possum, vix tamen credo pro festo Caterine Cardinalem venire posse, eciam si velit. Negocia enim Auguste intricata sunt. Inter cetera mihi Doctor Gemel-

lius scripsit Caesarem conari, ut filio Philippo nunc caedat Romano Imperio, se ex Hispaniis in Africa Turcis resistere necessario debere. Ad quem colorem Regem quendam ex Numidia<sup>13)</sup> Thunissi pulsum ad Cesarem cum 16 tantum hominibus venire dicunt. Ad quam quidem cessionem Imperio tres Electores spirituales consensisse. Regem vero Ferdinandum cum reliquis, quos habere potest, Principibus secularibus nequaquam consentire velle scribitur. Quod quidem negotium in controversia hactenus pendet.

Item fama hic emerserat, incerto quidem authore, inicio melior. Sed nunc credibiliboribus argumentis (quod Deus emendare dignetur) confirmant Ducem Georgium Mekelburgensem exercitu 1800 equitum et peditum ex militibus, quos civitas et Dux Henricus Brunsvicensis dimiserunt, coacto, non mercede, sed spe predandi et spoliorum persuasis (nihil enim aliud habet, quod det), ad evertendum quoddam oppidum (3 fortasse miliaribus a Maideburga) venit. Cui cum predacio ex arce illius opidi ictibus sclopetarum impediretur, oppidum incendit. Interim autem Maideburgenses 3000 equitum et peditum ad suspectias illi oppido miserunt, qui venientes invenerunt hostem fugam simulanten. Quem dum in insidiis positum insequuntur, cesi sunt ad 2080, preter captos circiter 6, inter quos nullum civem Maideburgensem vivum esse voluerunt preter milites stipendiarios.

Hec dum fiunt, Illustrissimus Dominus Marchio Brandenburgensis Ioannes exercitum, quem maiorem potest, colligere cepit. In quem finem autem, ego nescio. Dominum Deum precor, ut suos tandem respiciat et confirmet, ne corda impiorum et manus invalescant. Cum hoc precor Illustrissimam Vestram Dominacionem foeliciter valere mihi propiciam. Posnanie, 10 Octobris, 1550.

Stanislaus Boianowski.

z) sic in ms.

7) Solimanus II.

1) Petrus Kmita.

8) Georgius Utšenovič, alias Martinuzzi.

2) Samuel Maciejowski.

9) Ioannes Sigismundus.

3) Nicolaus Dziergowski.

10) Otto Truchsess.

4) Andreas a Górką.

11) Julius III.

5) Nicolaus Radziwiłł « Niger ».

12) Christophorus.

6) Ioannes Tęczyński.

13) Mulay Hassan.

6\*) Bona.

\*) desunt.

N. 1261.

Posnaniae, 10.X.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Ioanni a Kreitzen, ducis in Prussia cancellario,  
perturbatum se esse notitia scribit ducem suas superiores litteras non  
acepisse; scribit etiam aliqua nova, quae post absolutas litteras  
ad ducem (10.X.) sibi allata sunt.*

*Sigill. Autoogr.*

*H B A, B 2, K.380.*

Salutem et cetera bona.

Preter ea, que scripsi Principi, non video, quid adderem. Invisere tamen Tuam Generositatem volui amicicie nostre causa. Item Tuam

Generositatem scire existimo, qui proximas a Principe litteras ad me scripsit, in quibus talem scrupulum, qui me inicio vehementer perturbaverat, inveni. Sribit enim prima fronte Principem nullas litteras meas habuisse, postquam Craccovia discessi, quam ego ab inicio Maii non vidi. Iudicavi tamen postea Craccoviam pro Petrikovia scriptori excidisse, nec cuiquam quam Tuae Generositati confidenter et amice significo. Memini enim me quinques ab illo tempore Sue Illustrissime Dominationi scripsisse. Ceterum, postquam has ad Principem absolvisset, accepi chartam ex Craccovia Episcopum suo malo non esse consternatum animoque bono esse.

Item Regiam Maiestatem in Niepolomicze proximo die lune redire velle, unde 26 Septembri in graciam Episcopo ad festum Stanislai, indulgenciarum causa, Craccoviam venerat, postquam ibi duo; fere menses egisset. Nec puto inde egressuram ante 15 Novembris. Item ex Hungaria mala innovantur, exercitum crescere virtute Turcaruni, pro Regina Isabella et eius filio<sup>1)</sup> scilicet. Monachi<sup>2)</sup> quoque a contrario augeri ex omnibus Regis Romanorum possessionibus. Audiemus fortasse brevi efficaciam foederum Turcarum cum Ferdinando, cui Mcnachus occultis quibusdam pactis promiserat Transilvaniam et omnia, que nomine filii Regis Ioannis tenebantur, una cum ipso pupillo, in manus tradere. Quod mira arte Turcarum Imperator<sup>3)</sup> resciens, nunc antevertire conatur. Finem Deus bene vertat. Valeat foeliciter Tua Generositas. Dominum Asuerum Branth, Dominum Leendorffer etc. saluto et precor omnia leta. Posnanie, 10. 1550.

Stanislaus Boianowski.

*In dorso: Generoso Domino Ioanni a Creuczen, Illustrissimi Domini Prussie Ducis etc. Cancelario, amico optimo.*

*In absencia Domino Assuero Branth.*

1) *Ioannes Sigismundus.*

2) *Georgius Utischenocic, alias Martinuzzi.*

3) *Solimanus II.*

N. 1262.

*Sieprc, 24.X.1550.*

*Nicolaus Jarand Brudzewski, palatinus Lanciciensis,  
Alberto in Prussia duci  
quod dux querimoniam suam de Alberto Finck, iudice terrestri Hohen-  
steinensi, non repudiaverit, gratias agit rogatque, ut sibi et affini  
suo, Gregorio Obornicki, cum eodem Finck iustitia administretur  
sine ulteriori mora.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.380.*

N. 1263.

Gnesnae, 12.XI.1550.

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
demortui episcopi Cracoviensis et R.P. cancellarii [Samuelis Maciejowski]  
laudes textit et cum duce consentit, ut idoneus in locum defuncti  
constituatur; sperat se mox ducem in persona visurum.  
Sigill.  
H B A, B 2, K.380.*

N. 1264.

Gnesnae, 12.XI.1550.

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
supervacaneum esse scribit, ut dux sibi gratias agat pro eo, quod ad litteras responderit et cum Caspero a Lehendorff de negotiis ducis egerit.  
Vest. sigilli.  
H B A, B 2, K.380.*

N. 1265.

Wolborz, 17.XI.1550.

*Stanislaus Lwowski ab Ostrorog,  
Alberto in Prussia duci  
a genero suo, Procopio Sieniawski, dapifero Leopoliensi, rogatus, servitia sua nomine ipsius, urgentibus negotiis in Podolia occupati, duci offert et nuntiat se, una cum Raphaele Działyński, capitaneo Brodnicensi, duci [Cracoviam eunti] obviam ire proposuisse, accepto tamen tristi nuntio [de ducis aegritudine], a proposito suo abstinuisse.  
Sigill.  
Iam ed. Wotschke, St. Ostrorog, suppl. I.  
H B A, B 2, K.380.*

N. 1266.

Cracoviae, 20.XI.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de proceribus, qui sepulturae episcopi Cracoviensis, Samuelis Maciejowski, interfuturi putantur vel defuturi.  
Sigill.  
H B A, B 2, K.380.*

... Illustrissime Princeps.

Etsi revera nihil hiis diebus apud nos innovatum video, scribo tamen id, quod Illustrissimam Vestram Celsitudinem prescire reffert.

Dies Sanctae Barbarae, ut Barbara coronetur, barbare constitutus est, quamvis non publicatus. Interim autem hec Barbara egrotat vel egritudinem simulat, magno nostro animi dolore et pallore.

Item in Littwaniam ire proposuimus iterum inicio anni proximi, ita, si hec Barbararum negotia optatum finem habebunt, de quorum successu anxias habemus suspiciones, ut fit apud sibi conscos, ne a quopiam impedianter, cum neminem talem, qui hoc conetur, videamus. Omnes enim succubuerunt et omnes, quamvis diversis modis, Barbare subagitantur. Porro hodie huc veniunt Castellanus Cracoviensis<sup>1)</sup> et Lytwanie Marschalcus,<sup>2)</sup> et item Palatinus Cracoviensis.<sup>3)</sup> Cras enim fiet sepultura Samuelis Episcopi Cracoviensis, cuius testamenti tutores sunt Regia Maiestas et Dominus Castellanus Cracoviensis, exequutores Przirempski,<sup>4)</sup> eius mortui familiarissimus, et Przecławski,<sup>5)</sup> eiusdem Cancellarius. Fratres omnes exclusit, dicens: Ego multa debita contraxi, ex mea suppellectili solvenda, que si in manus meorum fratrum veniret, valeant creditores.

Item Dominus Castellanus Posnaniensis<sup>6)</sup> eciam venturus est, ut quidam mihi dixit, sunt tamen, qui dubitant. Ego credo venturum quarto aut 5 abhinc die. Veniunt et alii quidam Senatores Palatini. Ex primoribus tamen Posnaniensis<sup>7)</sup> et Sędomiriensis<sup>8)</sup> Palatini non veniunt: prior propter egritudinem et cecitatem, alter vero innocens vult esse a sanguine huius iusti. Archiepiscopus<sup>9)</sup> venit coronam impositurus capiti. Utinam et in cunnum naso impingat. Qui dicit: Non possum ego solus contra stimulum calcitrare. Veniunt et alii Episcopi, fortasse omnes, preter Posnaniensem<sup>10)</sup> non recte valentem. Venit item frater Reginae ex Littwania Pincerna<sup>11)</sup> 150 equitibus, ut audio.

Externi Principes veniunt: Dux Fridericus Legniczensis etc. et Dux Tesschinensis.<sup>12)</sup> Cardinalis Augustanus<sup>13)</sup> non venit, quia mortuum est caput, cui rubrum pileum adferre debuit. Nec eciam illi vaccat, ut ad nos veniat. Reiecit enim in eum Imperator plurima negotia, que olim Granvela tractabat. Cetera, si quid erit, Illustrissimae Vestrae Celsitudini in Miechow dicam.

Item przistaw Illustrissimae Vestrae Celsitudinis erit Gabriel Tarlo, qui quotidie ex Littwania expectatur. Valeat interim Illustrissima Vesta Celsitudo et posthac semper Cracoviae, 20 Novembris, 1550.

Regis Ferdinandi Legatus, Doctor Langus, egit publice, ut Rex noster in Hungariam mitteret ad componendos tumultus inter Monachum<sup>14)</sup> et Petrowicz. Privatim vero egisse creditur, ut isti duo Reges Wratislavie convenient, immo et Caesar creditur tercius.

Item est hic Legatus Principis Electoris Brandenburgensis,<sup>15)</sup> qui speculator et perquirit modum vivendi in Aula Polona filio Sue Illustrissime Celsitudinis.<sup>a)</sup>

a) in originali subscriptio excisa appareat.

8) Ioannes Tęczyński.

1) Ioannes Tarnowski.

9) Nicolaus Dziergowski.

2) Nicolaus Radziwiłł « Niger ».

10) Benedictus Izdbieński.

3) Petrus Kmita.

11) Nicolaus Radziwiłł « Rufus ».

4) Ioannes Przerembski.

12) Venceslaus III.

5) Andreas Przeclawski.

13) Otto Truchsess.

6) Andreas a Górką.

14) Georgius Utišenović, alias Martinuzzi.

7) Janusz Latalski.

15) Joachimus II.

Cracoviae, 25-28.XI.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de mortuo episcopo Cracoviensi [Samuele Maciejowski]; de coronatio-  
nis die reginae Barbarae; de litteris a regina Isabella scriptis, a  
se lectis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.380.*

**Illusterrissime Princeps.**

Dici non potest, quanto dolore et sollicitudine nos affecerit adversa Celsitudinis Vestre valetudo, quod et optimam illi diuturnamque incolumentem faveamus et Reipublice plurimum refferre videamus, precamurque Dominum nostrum, ut Celsitudinem Vestram et nos in ea consolare dignetur.

Porro, ut aliquid de rebus nostris scribam, non video, nisi ea, que ante dies 5 scripsi, reppetere vellem. Omnia enim ita cedunt, ut scripsi. Venerunt iam omnes fere, quos nominavi. Hodie debet venire frater Regine Barbarae,<sup>1)</sup> cui tota aula a capite ad caudam obviam it. 25 Novembris.

De Domino Castellano Posnaniensi<sup>2)</sup> necdum certi sumus, an sit venturus.

Impediti autem nunc sumus magis, quam fuissemus, si Episcopus Cracoviensis vixisset, in quem omnia prorsus Regni negotia et regia onera reieceramus. Mirum est itaque Poloniam hactenus subsistere, cum ille in ea fuerit, quot anima in corpore. Peniteat Deum nos tam bene instructos ac frugi esse, ut mortuo uno sacrificio succubuerimus.

De coronacione hactenus certi nihil, etsi dies Barbarae proximus sit. Male tamen est contentus Castellanus Cracoviensis,<sup>3)</sup> cum dicit de Episcopis. Vaccacio, inquit, Episcopatus Cracoviensis facit, ut isti nostri Episcopi nunc et capram aut suem coronarent, iubente Rege. Interim eciam Regina adhuc egrotat, nec simulare puto, eciam si corpus valere non negem. Sed animus laborat. Tertia enim abhinc nocte alta voce clamavit: Si me, o Deus, accipere non vis, accipiatis me, omnes diaboli. Et hec est alia causa post mortuum Episcopum distractionis nostraræ. Item dies renovandi feudi nondum est declaratus.

Nova ex Hungaria. Heri legi litteras, manu Reginae Izabellae scriptas. Hiis diebus, inquit, obsederat nos Kinstart Monachus<sup>4)</sup> et oppugnabat periculosissime, sed Turcikus Bascha in Buda misertus nostri, misit in auxilium. Quod ubi Monachus audiret, retrocessit. Turce autem sunt tantum 6 miliaribus a nobis. Quibus significavimus, cum graciaram accione, iam auxilio non opus esse. Tamen non retrocedunt, metuimusque tales eorum misericordiam, qualem Budæ postremo experti sumus. Deus sit nobiscum.

Item mittitur illuc Legatus Stanislaus Teczinski, Celsitudinis Vestre alumnus, quamvis nondum in legacionem consenserit...

Cracoviae, 28 Novembris, 1550.<sup>a)</sup>

a) in originali subscriptio excisa appareat.

3) Ioannes Tarnowski.

1) Nicolaus Radziwiłł « Rufus ».

4) Georgius Utišenović, alias Martinuzzi.

2) Andreas a Górką.

N. 1268.

Posnaniae, 1.XII.1550.

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
accepto nuntio de ducis, Cracoviam iter facientis, adversa valetudine,  
celerem et plenam sanitatis recuperationem illi precatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.380.*

N. 1269.

Cracoviae, 3.XII.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de coronatione reginae Barbarae ob aegritudinem eiusdem dilata et de  
ipsa aegritudine.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.380.*

Illustrissime Princeps.

Post ea scripta, que ante paucos dies bina ad Vestram Celsitudinem dedi, non video, quod sit scriptu dignum, et eciam si quid fuit, illud totum cum Vestrae Celsitudinis Cancellario<sup>1)</sup> communicavi et Assuero Branth. Pauca igitur scribo, bona materia deficiente. Lamentaciones vero, quibus abunde laborare (deplorando temporum vel morum iniquitatem) facile possem, reicio, ut inutiles et nocivas.

Coronacio nostra differtur de die in diem propter distortam valitudinem nostrae Barbarae. Que quidem dilatio nos mirum in modum sollicitat et excruciat nullaque alie rei aptos reddit. Nec scimus, quod sit genus morbi, nos videlicet, quorum maxime interest scire. Sciunt vero alii extra scenam, emphasis fabule dissimulantes et fortasse ridentes. Fertur autem talis esse egritudo, qualem nostri Germani franzosen, Galli la verola vocant, Poloni francza. Unde nobis hoc? In matrimonio scilicet. Sunt, qui dicant veteres eius milicie cicatrices recruduisse, alii vero affirmant hoc pacto rem auctam esse. Fuit quidam Chodurowski inter pueros gynecii, adolescens non tam magna statura, quam forma nasi commendatus. Hic, cum occasio tulit, ascendere iussus. Et ita assuetus, cum non vaccabat propter hospitem, visitare cepit bonas socias, prostibula etc., donec mercem tali negotiacione dignam acquireret. Quam rursus de more per occasionem hospite nostre communicavit. Labefactatus tandem, unctione Mercurii valetudinem curavit, deinde nescio quo repatriatum abiit, vestigiis sue virtutis relictis. Quorum quidem passionem (que iam faciem ipsam turpiter mutat) equius ferre possemus, si modum celandi haberemus. Pudor enim et fortasse metus (quamquam ne hic quidem metu opus esse credo) facit, ut neque mederi nobis permittimus, dicentes nos non ita<sup>a)</sup> male valere, neque tam<sup>a)</sup> ad Venerem admittimus hospitem, matricis dolores causantes. Et interim propositum esse nobis mori pocius, quam ut unctionem vel

alium modum detegendi morbi paciamur. Hec sunt, que nos misere afflidunt, inscios et oblitos nostri. Hec et feudorum confirmacionem protrahunt et iter in Littwaniam (quod tanto desyderio cupimus) in dubium vocant aliaque omnia negocia publica et privata, prophana et sacra, percacant. Dixi.

Dominus interim Dux Legnicensis<sup>2)</sup> et Teschinensis<sup>3)</sup> hactenus hic triumphant, per excellenciam potentes. Insumit solus Legnicensis regios florenos 500 in hebdomada, iuvans coronacionem, de qua in dubium venire videmur. Sunt eciama, qui dicunt Castellananum Cracoviensem<sup>4)</sup> clanculum Archiepiscopi<sup>5)</sup> et aliorum animos contra hanc instruere. Sed nihil, nisi valetudo obstaret, colores sunt, quibus vulgi opiniones rursus captare et fallere querimus.

Item Dominus Castellanus Posnaniensis<sup>6)</sup> huc scripsit se venire non posse, tametsi levis catarrus esse videatur, quem patitur. Tamen medici nequaquam suadent, ut se itineri committat, presertim tam incommodo tempore. Legacionem Turce ad Reginam Isabell<sup>2)</sup> Hungarie Dominus Cancellarius Illustrissimae Vestrae Celsitudini mittit. Quam foeliissime valere cum omnibus suis precor. Cracoviae, 3 Decembris, 1550.

Stanislaus Boianowski.

a) *verbum supra scriptum.*

3) *Venceslaus III.*

z) *sic in ms.*

4) *Ioannes Tarnowski.*

1) *Ioannes a Kreitzen.*

5) *Nicolaus Dziergowski.*

2) *Fridericus.*

6) *Andreas a Górkka.*

N. 1270.

Cracoviae, 14.XII.1550.

Petrus Kmita, palatinus et capitaneus Cracoviensis,  
Alberto in Prussia duci  
adolescentem Ioannem Bąngarski (sic in ms.) commendat, ut in numerum servitorum ducis, qui a poculis sunt, recipiatur.

Sigill.

H B A, B 2, K.380.

N. 1271.

Cracoviae, 23.XII.1550.

Nicolaus Sieniawski, palatinus Belzensis et exercituum R.P. ac Haliciensis capitaneus,  
Alberto in Prussia duci  
consanguineum suum in curiam ducis mittit, ut ipsum de statu et valeductine ducis saepius edoceat.

Sigill.

H B A, B 2, K.380.

N. 1272.

Cracoviae, 26.XII.1550.

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,  
Alberto in Prussia duci  
aliquot equos dono mittit et iuvenem, eos conducentem, commendat.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.380.

N. 1273.

Posnaniae, 27.XII.1550.

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
Nicolaum Jarand Brudzewski, palatinum Lanciciensem, causam in iudi-  
cio cum Alberto Finck, ducis subdito, habentem, commendat.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.380.

N. 1274.

Cracoviae, 28.XII.1550.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de morbo reginae Barbarae et de itinere in Lithuania hanc ob causam  
impedito; de officiis et dignitatibus in Lithuania inter cognatos Bar-  
barae distributis; de castellano Posnaniensi [Andrea a Górką] Cra-  
coviam non venturo; de castellani Cracoviensis [Ioannis Tarnow-  
ski] moliminibus.*

*Sigill. Autoogr.*

H B A, B 2, K.380.

Illustrissime Princeps.

De negotiis Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Legati eius sufficien-  
ter docebunt. Que quidem non melius, quam nostra propria, tractamus.  
Nos, inquam, qui cum magno scandalo et opprobrio virtutis ante inepti-  
vimus, nunc deliramus, ne dicam insanimus, sponteque et ex industria  
miseros nos et pauperes facimus in dies magis. Miseros, dum mulier-  
culae, tam sordido morbo infectae (ut singulari et rara Dei vindicta id  
accidisse videatur), assidemus perpetuo, ex qua spurcicies quedam ef-  
fluit (omnibus interdum foraminibus) tam fetida, quod nemo ferre possit  
(cum invalescit) rogatque ipsamet, ut omnes exeant. Nos tamen, ut offi-  
cium nostrum tam sedulum comprobemus, nusquam secedimus idque  
postea coram dilectis nostris gloriamur: Neminem, nisi nos, talem feto-  
rem posse ferre. O, indignam eciam infime sortis homine miseriam!  
Pauperes vero, dum incongruis affinibus et aliis, qui hanc inconvenien-  
tem affinitatem, tot indignitates post se trahentem, laudare non eru-

bescunt, tantum elargimur (prodigo filio similes), quod ipsismet sepe desit nobis, quos abundare decuit et oportebat. Sed iterum in querelas feror, a quibus mihi temperare volens, non possum tamen, nunc presertim, inter spem et metum positus. Veremur enim, ne (in malum nostrum) morbi huius fetori medeatur, ut convalescat fundi nostri calamitas. Quod tamen ita cito fieri non potest. Letamur autem, quod plurimi, et ipsi medici eciam, dicunt eam hoc morbo perituram esse. Quamquam nescio, an sit quod gaudemus, si verum est, quod aliqui affirmant, Regiam Maiestatem dixisse: si hec moriatur, aliam similem ducere velle. An autem eiusmodi mores vel virtutes intelligat, vel familie dignitatem, nescio.

Posth<sup>2)</sup> discessum Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Oratorum nihil itidem boni (laus Deo) auditur, presertim eciam ab extra, de quo infra. Stanislaus Miskowski, incisor regius, nudius tertius in Lyttwaniam abiit, palatinatum Trocensem Radziwiłlo Pyncernae,<sup>1)</sup> fratri germano Regine, et patrueli, hoc est Marschalco,<sup>2)</sup> sigillum sive cancellarium Lyttwaniae adferens. Cui quidem Marschalco palatinatus Wilnensis promissus esse creditur, cuius proventus nunc quoque illi sunt attributi. Privata autem munera Pyncernae data. Hec sunt, preter quedam minuta, bona quondam Gastoldi, Koydanow dicta, ad 100000 florenorum ad minus estimata, faciunt enim circiter florenorum 5000 singulis annis, item in paratis 3000 ducatorum Hungaricorum et 18 cyphos non mediocris quantitatis.

Item iterum Sua Maiestas iter in Lyttwaniam proposuit diemque in crastino dominicae Oculi egressui assignavit. Effectus autem in sola valetudine Barbarae pendere aparet. Nam etsi multa interna et externa pericula disuadeant, nemo tamen est, qui se vel uno verbo opponat nosque, nostri tam oblitos, admoneat. Immo, redargucionis loco, materiam subministrant ubique indignitati. Episcopus ille Samuel, qualisque alias fuerit, certe hoc iter Lyttwanicum disuasisset magno serio, presertim causis eius itineris nunc sublatis, postquam dignitates et officia sunt distributa. Quorum reliquias partes oblitus sum supra suo loco recensere, nempe Mohylow, capitaneatus versus fines Moschkovie, datus est Stanislaw Kiesgal, Dapifero Lyttwanie, qui illi pro sua parte 250 florenos adferet. Nepos est ex sorore Marschalci. Item alteri eciam cognato eorum Włodzimirz audio esse promissum, Wasilio Constantinowicz,<sup>3)</sup> clarissimo patri, Duci Constantino, dissimili filio. Quod recens vaccat post mortem affinis regii, qui uxorem suam, maiorem natu sororem Regine, sequutus est ad patres.

Item de Domino Castellano Posnaniensi<sup>4)</sup> Regia Maiestas non bene est contenta, et nos eciam moleste tulimus. Sed non ita male hec absencia cadet, si Domina Barbara moreretur, quamquam ego id casui, non providenie illius, tribuerem.

Item Castellanum Craccoviensem<sup>5)</sup> non bene contentum hinc abiisse, sive quod tam pulchre Regi cum Palatino Craccoviensi<sup>6)</sup> conveniat, cum tamen nihil sit re ipsa synceri inter eos preter coloratam graciā, et interim existimationem de se apud omnes bonos prostituit, ab illis in partes Regine secedens, sive quod tam multa, immo omnia fere Radzivilones, advene scilicet, possunt. Incipit itaque favores populares (inversa pelle) querere, promittens se pro re et honestate publica omnia facturum. Sed contrariorum eadem est disciplina. Auditum preterea esse ex ore eiusdem Castellani, quod iureiurando promiserit nullis amplius Comiciis vel similibus conventibus se interfuturum. Sed nescio, quomodo hec coharent cum assercione Reipublice.

Externa hec ex Germania, que hic mitto,<sup>7)</sup> ego non affirmo, ex publico

enim rumore scribuntur. Certum est tamen incolas Missnie perturbatos esse et fortasse insolitum quidpiam aut metuere aut moliri, sed itidem de quam plurimis Germanie locis auditur...

Cracoviae, 28 Decembris, 1550.

Stanislaus Boianowski.

z) *sic in ms.*

1) *Nicolaus Radziwill « Rufus ».*

2) *Nicolaus Radziwill « Niger ».*

3) *Basilius Constantinides Ostrogski.*

4) *Andreas a Górká.*

5) *Ioannes Tarnowski.*

6) *Petrus Kmita.*

\*) *desunt.*

N. 1275.

Brudzewo, 31.XII.1550.

*Nicolaus Jarand Brudzewski, palatinus Lanciciensis,  
Alberto in Prussia duci  
de causa sua cum Alberto Finck, iudice terrestri Hohensteinensi.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.380.

N. 1276.

s.l. [1550]

*Episcopi Poloni*

*Iulio III pontifici Romano*

*electionem novi papae cum gaudio salutant, qui his difficillimis temporibus, cum catholica religio contemnitur et iura Ecclesiae parvipenduntur, virtutibus suis eam servare poterit; in defendenda religione catholica regem Poloniae operam suam non denegare nuntiant; Concilii inductionem expetunt, quo novitates in re religionis coerceri possint, quae in vicina Germania sparguntur.*

*(Versio. Scriptum hoc probabiliter a Stanislae Bojanowski, una cum litteris suis in Archivo non conservatis, duci Alberto erat transmissum).*

H B A, B 2, K.380.

Allerheiligster in Got vater, gnedigster her.

Nach erbietung unserer underthenigen dienst, embsiges gebetes und des kusses der fusse.

Seinthmal an uns gelangt, das Euer Heiligkeit aus sonderer und hoher einhelliger bewilligung der erwirdigen veter zu Christi stadthalter auf dieser erden und in die stadt Petri erwhelet, als haben wir ob solcher botschaft nit geringe frolokung empfangen, furnemlich weil wir ange merkt, das Euer Heiligkeit zu solchem wegen Irer habenden tugent beruffen und in solchem der kirchen heil gesucht, welche, do sie jemals eines gutten hirten bedurft, ist sie werlich iziger zeit desselben und so

eines wie Euer Heiligkeit gerhumet, serh benotigt. Dieweil dan Euer Heiligkeit tapperkeit, geschiklikeit, weisheit und vernunft in regirung der kirchen so ir von Got beholen von menniglich also gepreiset, stellen wir in keinen zweifel und seint trostlicher hofnung, Euer Heiligkeit werde das schif der kirchen, welches bisher vle anstoss und ungemach des ungewitters ausgestanden durch verleihung gotlicher gnaden in begerte habnung und rhue bringen, und domit wir solcher hofnung geweret, bitten<sup>a)</sup> wir umb sovil embsiger dem lieben Got, weil wir nit in geringer gevhar sitzen, wo wir nit durch Euer Heiligkeit errettet und dieselbe dem unthergang unserer religion zu hulf kommet, dass das ubel, so unsere benachparte beunruhigt, gehet algereit bei uns auch an. So ist dieser unser orth auch mit der gift befallen, welche allenthalben im Deutzschlandt wutet. Dan alhir ir vil gefunden, welche von dem glauben zu disputationen, die schrift, welche sie nit verstehen, auszulegen und von den geistlichen hendeln zu urtheilen sich understehen und beyleisen sich nichts merh, dan allerlei neuerung zu erweken. So gelten bei inen auch nit merh unserer vether ordnung, der concilien satzung und Euer Heiligkeit heiliger stul, welchem wievil merh sie abbruch thuen und schmellern konnen, sovil merh lassen sie sich dunken Got ein angenesmes werk zu thuen. Verdammen alles, was die kirche eingesetzt, allein mit dem behelf, das es menschliche satzung und gedicht, ire treume aber wollen sie unther einem schonen schein gotlichs worts angebett haben. Deren hauf und halsstarriket nhumer grosser und kuner, dan das sie durch uns zu stillen. Achten keiner lerh, lassen sich auch keineswegs, do in gleich wichtige ursachen vorgelegt, von irem bösen wanl ableiten und segen nichts liebers, dan das, des geistliche regiment genzlich aufgehoben. Zudem bemhuhen sie sich auch uns des gewalts, die falschen lehrer gotlicher schrift und ketzer zu strafen, zu entsetzen. Dan sie sich bei koniglicher majestet anzuhalten understanden, das<sup>b)</sup> einem jdern in seinen stedten und dorfern pfarher, unerwartet des bischoflichen einweisens, zu setzen und das reine wort Gots lehren zu lassen, frei sein möcht. Welche, so es einmal (do Got vorsei) zugelassen, wurde keine göthlose sort erfunden werden, welche bei uns iren ausbreiter nit haben wurde. So achten sie die geistlich straf auch nichts. Dan weil in den reichssatzungen vermeldet, do jemands sich binnen jaresfrist des bannes nit entledigen wurde, solten desselben hab und gutter von den koniglichen behelichsaber eingenomen ader derselbige gefenglich enthalten werden, solche satzung haben sie aufzuheben und abzuthuen begert, also das sie vast nichts unversucht gelassen, welches zum unthergang unsers standes het dienen mögen. Solchs aber keiner andern ursach halben, dan das den weltlichen beider gestalt des sacraments und der priester ehe durch uns wider gotlichs wort (wie sie meinen) verboten.

Was sonst merh, mogen wir Euer Heiligkeit, domit dieselb nit garh überschuttet, nit schreiben. So aber wie vorgemelt ist es auf izigem reichstage zugangen. Also, das wo der liebe Got uns nicht so einen rechtschaffenen christlichen konigk, welcher in beschutzung der alten religion seines götseligen vatern fustappen volget, gegeben, wurde es<sup>c)</sup> in diesen landen eben so wie in Deutzschlandt, wo nicht erger, zugehen.

Solcher unfall aber hat nirgents anders seinen ursprung her, dan<sup>d)</sup> das nhun dreisigk jar her auf ein gemein concilium vil gehoffet, solchs aber niemals vortgengig gewesen. Und ob man wol sagt, solchs durch Euer Heiligkeit nhun angesetzt werden und seinen vortgang gewinnen soll, so seint ir doch vil, welche sich dessen keinesweges wollen bereden lassen, anmerkende, weil so eine zeit hero alwege darvon gesagt, aber

nichts gevollgt. Daher kumbts, das etliche sich vernhemen lassen, man harre umbsonst, werde alleine vergebene hofnung den leuten eingebildet und schreien, es werde nimmer darzu kommen, das ein babst zu Rom ein concilium ansetzen werde. Derwegen etzliche bei koniglicher majestet auch angehalten, uns zu behelen, in diesen landen ein zusammenkunft auszuschreiben, in welcher<sup>c)</sup> von oben erzelten strittigen articeln zu handeln, dass solten wir auch etzliche weltliche in solchen rath und versammlung nhemen. Gleichsam ob es zu unser<sup>f)</sup> macht von der gemeinen kirchen und sonderlich Euer Heilikeit, die wir unther Christo vor unser heupt erkennen, auch gerne darvor halten, abzuweichen, ein altar wider das ander aufzurichten ader sonst etwas dieser orth zu ordnen, welches den gemeinen beschlussem der concilien widrigk. So seint wir doch vil lieber alles zu leiden entschlossen, dan uns zu solcher unsinnigkeit bewegen zu lassen.

Bitten aber ins allerunderthenigst vor Euer Heilikeit heiligen fussen ligende, Euer Heilikeit wolle durch Gottes<sup>g)</sup> und seiner gotlichen barmherzigkeit willen ire sorge anher auch wenden und etwas von derselben in unsere kirchen auch flissen lassen, dan der gotlosen haufe und übermuth grosser, dan dass er uns lenger zu dulden ader auszustehen. Bisher haben wir sovil muglich gewest, mit gotlicher hulf geweret, domit kein neuerung in der religion vorgenommen, der christliche brauch und ceremonien in den kirchen erhalten, das gotliche wort rechtschaffen und nicht nach eines jdern gutdunken, sonder der kirchen einheiligen bewilligung und meinung nach gepredigt. Do aber Euer Heilikeit diesem ubel (seinthmal allerlei ketzerische bucher, sonderlich des gotslesterers Caluini<sup>h)</sup> lester und gotlose schrifte, von menniglich gelesen und sich damit getragen und solche gift von tage zu tage grosser wirt, also das ir schwerlich zu widerstehen) nicht vorkommen werden, ist zu besorgen, das uns das verderb, wie es in unser benachtpates Deutzschlandt geschlichen, nit auch überfall, dan wir negst gor keine andere hulf nach rettung wissen, dan bei Euer Heilikeit heiligem stule, zu welchem alle, die so in gleicher farh, dorin wir nhun sein, gesessen, baldt nach Christi Himmelfart ire zuflucht genommen. Demnach ruffen wir Euer Heilikeit hulf an und vermanhen sie irer pflicht, mit den sie allen kirchen verwant, Euer Heilikeit wolle auf wege trachten, wie das ubel von unseren kirchen zu wenden, zu dem dan kein besser wegk und einer ist, dan do das vilmals verheischene und begerte concilium angesetzt. Do aber Euer Heilikeit solchs zu furdern behindert, so wollen doch Euer Heilikeit irer habenden geschiklikeit und tragenden ampt nach die vorsorge haben, domit mitler zeit bei uns keine endrung in der religion furgenommen ader einige abtrunkinit von dem heiligen stul sich zutragen möcht, welchs uns warlich auch nichts weniger schmerzlich als der todt sein wurde, welchs, vermittelst gotlicher gnaden, weil wir nach stehen, hoflich nit gescheen sol. Aber do gehet man mit umb auf das, do uns unser geistlich gewalt gelegt, einem jdern frei werde zu gleuben, zu sagen, zu lehren und unther das volk zu breiten, wes ime gefelligk. An uns soll nichts erwinden, ves zu erhaltung des alten glaubens und kirchen dienlich, auch do wir all unser hab und gutter, leib und leben in gefarh daruber setzen solten. Bitten aber Euer Heilikeit wol uns dismals iren rath und hulf mittheilen tröstlicher hofnung, Euer Heilikeit uns dessen mit gnaden geweren werden, <sup>i)</sup> und bitten <sup>i)</sup> Gott,<sup>j)</sup> derselbe

wol Euer Heilikeit in langwiriger gesuntheit zu erhaltung der kirchen einikeit,<sup>k)</sup> über welche sie gesetzt<sup>l)</sup> fristen, Euer Heilikeit hirmit unsre underthenige und stetige dienste entbietende. Datum.

*Schedula adiuncta (manu Bojanowski scripta):*

Illustrissimus Bernardus Pritffitz, Ruttenice milicie ornamentum vel pocius fulcitamentum, ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem venturum se dicit inter 16 circiter dies, nisi forte interea hec mala nova confirmentur.

- |                            |                                 |
|----------------------------|---------------------------------|
| a) sequitur expunctum: wil | g) sequitur expunctum: willen   |
| b) sequitur expunctum: k   | h) in margine.                  |
| c) supra lineam.           | i)-i) in margine.               |
| d) supra lineam.           | j) sequitur expunctum: bittende |
| e) correctum ex: welchem   | k) sequitur expunctum: der      |
| f) ex uns correctum.       | l) sequitur verbum expunctum.   |

N. 1277.

s.d. s.l. [1550]

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,  
Alberto in Prussia duci  
notificat rumorem de obsidione castri Bar in Podolia, a Valachis et  
Turcis facta.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.380.*

*Illustrissime ac Amplissime Princeps, etc.*

Habita accurata commendatione serviciorum meorum, tantam et penitus Nestoream sanitatem Illustrissimae Amplitudini Vestrae praesentibus invitare libuit. Asolet enim quivis hominum ordo inter reliquas res, quibus aliquando hosce ipse molis conditor omnium foeliciter afficerit, hoc uno gratulari, ut praesenciam sanitatis, in quorum gracia anhortarum<sup>z)</sup> spei suae infigunt, cum spe firmissima et laetitia non occulta semper intueri eis libuerit tempusque, quo in Mathusalinum eandem producendam senserint. Quorum opinione ipse ductus, hanc ipsam incredibili quodam amore praesentibus nunc invito. Verum ne ipsa admiracio teneret Illustrissimam Amplitudinem Vestram, quod eundem servitorem Illustrissimae Amplitudinis Vestrae sub praesencia mea seculum penitus detinuerim, in foribus causa oblicisse potest. Gaudens etenim et cum applausu praecordiorum meorum hoc desiderans, ut Illustrissimae Amplitudini Vestrae, si quid attulerit Africa novi, hoc ipso servitore Illustrissimae Amplitudini Vestrae enuclearem et in litteris meis interse ruerim. Ac tamen ipse eflagitando ac expectando, si quid possim habere, aut se obtulerit tam (non ascituro fuco et colore tinctum) firmi et sub ipso iudice (ut aiunt) certo detenti scatentisque, nullatenus volui eum servitorem missum habere, quin vacuis (uti cum pace loquar) manibus praesencium tenorem Illustrissimae Amplitudini Vestrae porrigeret, ve-

rum ea (quae cum demerita accurataque recommendatione, uti immortaliter reor, in Illustrissima Amplitudine Vestra non ferrent repulsam) fama quorundam percepit, quod in partibus, praecipue tamen Podoliae, obsidionem castri, qui<sup>z)</sup> dicitur Bar, per Walachos et Turcas. Id autem si degat sub certo iudice, me latet. Famam enim ac omne omnino plerorumque sencio. Verum qua primum obvius adventus servitoris mei iisdem de partibus se obtulerit, haec omnia et singula, quorum intellexero non esse sub ambiguitate veritatem, Illustrissimae Amplitudini Vestrae exarranda necnon enucleanda curabo. Nunc vero quae etsi possint fieri nova, quorum memoria certa ammisso non constat, per eundem servitorem Illustrissimae Amplitudini Vestrae deferenda libuit. Sed ne missum fecerim, cuius rei maximam habere spem reor, Illustrissimae Amplitudini Vestrae mea omnia humilima, accurata alacriaque necnon et, uti loquar, immortalia servicia in graciam amoremque, plane uti divinum, commendo. Quorum spe certa fissus,<sup>z)</sup> apud Illustrissimam Amplitudinem Vestram non feram repulsam. Magis etenim constat mihi, ea ut herreant<sup>z)</sup> in cumulo maxime gracie necnon humanitatis Illustrissimae Amplitudinis Vestrae, quam si ea litteris meis (quarum brevities laudatur) commendarem. Cum his tandem Illustrissimam Amplitudinem Vestram Summo Iovi commendo, cuius gracia si in annos Regis Pilorum vitam Illustrissima Amplitudo Vestra vixerit, exoptatissimum me hercle haberem.

Illustrissimae Amplitudinis Vestrae deditissimus  
Procopius Sieniawski, Dapifer Leopoliensis.

<sup>z)</sup> sic in ms.



# 1551

N. 1278.

Jablonna, 4.I.1551.

*Ioannes Jabłonki a Jabłonna*

*Alberto in Prussia duci*

*rogat, ut iter sibi resarciantur, quod Cracovian fecerat frustra, ut ibi cum duce conveniret, annuique stipendii augmentum expostulat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1279.

Londini, 5.I.1551.

*Ioannes Laski*

*Alberto in Prussia duci*

*de petita a se nomine ducis Alberti a rege Angliae mutuo pecunia et de negativo responso ad hanc petitionem accepto; de instituta continuatione Concilii Tridentini; de edita confessione Ecclesiarum Germanicae, Gallicae et Italicae.*

*Sigill. Autoogr. (partim in ciphra)*

*(Adest versio germanica)*

*Iam ed. Kuyper II, p. 645.*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime Princeps etc.*

Ternas a Tua Celsitudine literas eiusdem argumenti accepi, ex quibus video scripta mea ad Tuam Celsitudinem aut non pervenisse, aut serius quam oportuit venisse. In quibus ego alioqui plene de omnibus prescripseram ad Celsitudinem Tuam, quaecunque ad causam videbantur pertinere. Repetam autem paucis omnia, si forte priora scripta interiorunt. <sup>a)</sup> Petii quinquaginta milia talerorum ad triennium <sup>c)</sup> sub certa aliqua cautione. Responsum est hoc anno id non potuisse fieri propter debita Regis Angliae et datum auxilium maritimis civitatibus per Comites Mansfeldicos.<sup>b) 1)</sup> Deinde ego video <sup>a)</sup> promptiores multo esse Anglos ad danda auxilia etiam maiora foederatis simul omnibus, si id unanimiter ab illis petatur, quam si uni Tuae Celsitudini mutuo concedere, quod postulavi,<sup>b)</sup> praesertim si <sup>a)</sup> res omnium literis una subscriptis,<sup>b)</sup> non autem <sup>a)</sup> per nuncios et quidem secreto id petatur. Sed de hoc in

tempore cogitandum esset. Foederatos voco N. Duces Pomeraniae,<sup>2)</sup> Duces Prussiae, maritimae civitates et forte Regem Daniae.<sup>3)</sup> Cuperent enim Angli cum istis coniuncti esse, sed volunt rogari.<sup>b)</sup>

Habet breviter repetita omnia Celsitudo Tua, quae ad causam ipsam faciunt quaeque antea significaram. Hic nihil habemus nunc novi, nisi de instituta ad Maium Concilii continuatione Tridenti. In quo quid sit expectandum, facile est divinare. Nos hic, divino et regio beneficio, iam instituimus Germanicam, Gallicam et Italicam Ecclesias edidimusque unanimem illarum confessionem, quod ad doctrinae praecipua quaedam capita attinet. Quam et Vestrae Celsitudini adiunctam hisce literis mitto in hoc anni novi initio, quem Tuae Celsitudini et toti adeo Christi Ecclesiae faustum ac foelicem toto pectore precor. Et me officiaque mea Tuae Celsitudini summa cum observantia commendo. Londini, pridie Epiphaniae, anno 1551.

Illustrissimae Tuae Celsitudini  
addictissimus servitor  
Ioannes a Lasco.

a)-b) *in ciphra, solutum in separato folio.*

c) *ad triennium additum in margine.*

1) *Albertus III et filii, Volradus V, Ioannes I,*  
*Carolus I.*

2) *Barnim IX et Philippus.*

3) *Christianus III.*

N. 1280.

*Cracoviae, 24.I.1551.*

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,*  
*Alberto in Prussia duci*  
*de exspectata morte reginae Barbarae; de itinere in Lithuaniae ex illa*  
*pendente; nova ex Hungaria et Austria.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.381.*

Precor Illustrissimae Vestrae Celsitudini omnia foelicissima.

Nostra coronata porro ita decumbit, ut omnes constanter affirmare non dubitant eam ex hoc tam fetido tamque illa digno morbo convalescere non posse brevique, hoc est hiis diebus, morituram, etsi aliqui medici, ceteris forsese<sup>z)</sup> arrogantes, dicant posse illam ad Mayum proximum vivere. Quid tandem, illa mortua? Sunt qui dicant Regem ad mores regios aspiraturum. Sunt eciam qui negent, quique metuunt, ne, hac sepulta, in Lithuaniae vadat similem quesiturus. Ego autem nescio, quid prophetizem. Sum inter spem et metum, sciens consuetudinem non ita facile mutari posse (presertim in egestate) ad melius. Incredibile autem est, quanta paupertas in locum nuperrime abundancie introducatur, iamque inusitato Regibus Poloniae modis<sup>z)</sup> peccunia queritur. Sed adhuc non est vulgaribus oculis conspicua. At post annum unum, vel circiter, apparebit egestas, eciamsi tegere velimus. Ad mobilia enim reccurrendum primo erit. Que quidem etsi non exigua sint, sed quid hoc est inter tantos scilicet ad regios sumptus?

Iter in Lithuaniae tam constanter propositum differtur atque ex egrota pendet. Multa nunc Illustrissimae Vestrae Celsitudini scribere non

possum, non vult enim portitor, in quem repente incidi, expectare. Nec est, quod de nostris rebus plura scribam, nisi forte hoc addendum existimavi Castellatum Cracoviensem, cuius tanta autoritate et consilio istis temporibus omnia fiebant, non ita iam esse affectum vel contentum moribus regiis, ut sit rursus metuendum, si quem Regni Conventum habebimus, ne tam durus sit vel durior duobus superioribus. De contribucione vero, qua nobis opus esset, parum vel nihil spei. Ex bonis enim affectibus erga Principem (quos certe non facile videre licet) procedere hoc solet.

Externa pauca aut nulla certa sunt nova. Caesar Turcarum male contentus est, quod Petrowicz sive Isabella Regina cum Monacho<sup>1)</sup> in graciam redierint, contra suam legacionem vel mandatum. Metuitur in Hungaria eius adventus. Rex Romanorum parat bellum, ut solet, non ut vincat. Misit nuper ex Wienna tormenta bellica maiora, numero 250, versus Prespurgum, nescio tantum, [an] pro illo loco muniendo, sed credo iterum hec munera, ut solitus est, dono Cesari Sultano designata. Item fama est eciam Caesarem Romanorum versus Viennam iter parare cum exercitu. Quod quidem vix credo eum cogitare. Credo pocius permissuros, ut Turce terciam illam in Hungaria faccionem affligant, ipsi vero sub specie belli Turcici Germanos suos agredientur. Quibus certo metuo (etsi nescio, quomodo reviviscere videantur habeantque novarum virium non exigua spem), iterum ebrii facti, Hispanis ultro succumbant... Cracoviae, 24 Ianuarii, 1551.

Stanislaus Boianowski.

29 Decembris, ni fallor, postremas meas per cubicularium Illustrissimae Vestrae Celsitudinis misi. Has non vaccat corrigere.

z) sic in ms.

1) Georgius Utischenović, alias Martinuzzi.

N. 1281.

Posnaniae, 26.I.1551.

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
Franciscum Stancarum Mantuanum commendat.*

*Sigill.*

*(Annexum: Supplicatio Francisci Stancari Mantuani ad Andream a  
Górką, exemplar)*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime Princeps etc.*

Ea est horum temporum iniquitas et diaboli furor eiusque organorum in membra Christi grassanticum, ut multos Vestrae Illustrissimae Dominationi commendare necesse habeam. Quis sit, qui beneficium et receptum ac domicilium abs Vestra Illustrissima Dominatione petit, facile Vestra Illustrissima Dominatio ex hoc scripto, quod ad me dedit, cognoscet. Quem ego Vestrae Illustrissimae Dominationi diligentissima commendatione commando ac magnopere rogo, ut benignam eius rationem, quem fere totus orbis exilio mulcat, habeat rebusque ipsius benigne

prospiciat. Profecto dignus est, in quo documenta christiani et vere pii Principis aedat<sup>z)</sup> cuiusque opera utatur. Singulari enim virtute ac animi constantia, denique eximia doctrina praeditus est et lingwarum cognitionem, nempe Hebreae, Graecae et Latinae, exactam habet. Adducor ego in certissimam spem, quod Vestra Illustrissima Dominatio et meam commendationem et praeces eius haudquaquam aspernabitur... Datum Posnaniae, XXVI Ianuarii, anno Domini 1551.

a) Illustrissime Dominacionis Vestre servitor  
Andreas Comes a Gorka etc. subscrispsit.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria.*

z) *sic in ms.*

*Annexum: Supplicatio Francisci Stancari ad Andream a Górką.*

*Supplicatio ad Illustrem Dominum Comitem a Gorka etc.*

Solet ita plerumque accidere et usu venire, ut nautae in summa rerum disperacione, procellis iactati et quassati, ad sacram anchoram confugere necesse habeant. Ita ego, in extremo meo discrimine vario genere casum et adversatum vexatus et exercitus, ad Vestram Illustrem et Magnificam Dominacionem, tanquam ad numen propicium et calamitosorum eximum patronum tutissimumque asylum, praeces supplices adfero. Sed priusquam peticionem instituero, quaedam de infestissimis casibus meis ac toto vitae meae genere apud Vestram Illustrem Dominacionem commemorabo. A qua supplex peto, ut ad ea legenda animum benignum et attentum adferat paululumque morae et temporis iis reputandis impendat.

Ego Mantua,<sup>a)</sup> ubi natus sum, Patavium profectus, ibi bonas litteras publice docui ac profitebar. Ubi tandem per summum Dei beneficium ad cognitionem syncerioris doctrinae perveni ac Antichristum Romanum cum suis Administris detestari coepi, et libellos aliquot aedidi<sup>z)</sup> lingua Italica, in quibus summam doctrinae christiana comprehendendi abususque perstrinxi et taxavi, quod eciam, ubi res et tempus flagitabant, et ubi adversarii verae doctrinae urgebant, publica et ingenua confessione comprobavi. Neque id impune tuli, nam primum Mantuae, in patria mea, deinde Veneciis, diuturnis ac ferme octo mensium carceribus mandatus fui. Unde mirabilibus modis et stupendis mediis liberatus, Augustam me recepi, atque ab Amplissimo Senatu Augustano stipendiis honestis ad docendum invitatus, Hebraicas et Graecas litteras publice profitebar. Postea vero Ratisbonae cum collocutoribus, ab Imperatoria Maiestate (ad disputandum de religione) designatis, interfui et illis, quibus demandata cura verae doctrinae tuendae fuit, me adiunxeram. Quae res cum ad caeteras meas liberiores de synceriore cultu nominis Dei disputaciones actesisset,<sup>z)</sup> tantum mihi odium apud Maiestatem Imperatoriam et apud omnes adversarios verae doctrinae conciliavit, ut eciam vitae meae insidiarentur et necem mihi minarentur. Cumque et apud Imperatoriam Maiestatem et apud adversarios nihil scriptis, quae tunc edideram, profecissem, imitatus exempla Christi et multorum Sanctorum, inde, ut vitae et saluti meae consuleretur, in Transylvaniam me contuli dedique operam, ut isthic homines veram pietatem (asserti a tyrannide Antichristi) imbiberent. Sed neque ibi propter Monachum, Hungariae Tesaurarium,<sup>1)</sup> tutus esse potui, qui propterea, quod reformatre Ecclesias

in quibusdam urbibus ceperam, gravi indignacione erga me exarserat et extremum malum mihi minatus erat.

Quapropter, ut in posterum et mihi et aliis consulerem, in Poloniā, Cracoviā, adiutus litteris commendaticiis Serenissimae Reginae Hungariae<sup>2)</sup> ad Serenissimum Regem Poloniae, ac ad Vestram Illustrem et Magnificam Dominacionem et alios Regni proceres, profectus eram. Ubi cum venissem, abs Reverendissimo Episcopo Cracoviensi Samuele,<sup>3)</sup> recens vita functo, humanissime fui acceptus. Qui eciam me amplis pensionibus auxit et provinciam publice docendi demandavit. Sed dyabolus (qui semper mordet calcaneum Meschiae) obstitit, quominus per me in iuventute Polona vera pietas alcius radices ageret. Nam cum litteras Hebraeas in frequentissimo et celeberrimo auditorio dicerem, et quosdam abusus per occasionem reprehenderem veneracionemque Divorum tanquam supervacaneam et idolomaniam redolentem perstringerem, adversarii verae doctrinae et totus coetus scilicet sacri ordinis, scribae, pharisei et Caiaphae, in me capitale odium conceperunt et suis dolis ac insidiiosis machinacionibus perfecerunt, ut et Samuel me in numero haereticorum haberet. Qui actensus zelo, non secundum scienciam, mandavit suis administris, ut me in arcem quandam (frustra publicam disputationem flagitantem et appellantem) abducerent. Cumque isthic perpetui carceres mihi preferendi essent, Deus tocies a me praecibus et gemitibus inenarrabilibus fatigatus, me per beneficium et misericordiam suam, qua mirificat Sanctos suos, mirabili consilio in libertatem asseruit, ita quod ex altissima rupe me demiserim et in equites Polonos clari nominis et generis, a Deo ad excipiendum me subornatos, hac atque illac errans inciderim et in eorum domos perductus sim, qui eciam hactenus me et uxorem et filiolum liberalitate sua prosecuti sunt et victu honesto sustentarunt. Pro quo Deus illis praemia prolixa reddat in resurrectione mortuorum.

Interea dyabolus, qui cupit nititurque gloriam Filii Dei ubique sepulcam et eius professores omnino extinctos, inflammavit magis ac magis sua organa, quae prorsus furiis propter me assertum et liberatum agitata et stimulata, apud Regem (ut Vestrae Illustri ac Magnificae Dominationi est bene cognitum et exploratum) perfecerunt, ut mihi per publicum mandatum hospiciis et domiciliis interdiceretur, et ut extorris ac exul a Polonia permaneam. Sic ego, tot incommodis ac periculis agitatus, et tanquam navis procellis quassatus in extremamque necessitatatem adductus et in summas angustias coactus, ad quem configiam, cuius opem ac patrocinium implorem, a quo beneficium petam, nemo prorsus in Regno Poloniae occurrit preter Vestram Illustrem ac Magnificam Dominacionem. Quae tametsi propter atrocia aedicta contra me promulgata me in Regno tuto non potest retinere, tamen apud Illustrissimum Dominum, Dominum Principem Prussiae, unicum et tutissimum asylum (in toto Orbe Christiano) eorum, qui propter Christum exulant, res meas potest promovere et sua autoritate, qua apud illum dicitur pollere, in bono statu collocare. Qui etsi undique ab hostibus Evangelii sit circumseptus sedeatque inter eos tanquam Daniel inter leones, tamen non committit neque in ullo discrimine ponit, quin opem suam implorantibus praesens beneficium adferat et multis, propter veritatis professionem seu electis seu relegatis, hospicium et receptum benigne praebeat atque liberalitate sua prosecuratur et stipendiis augeat ita, ut cum Mardocheo et Hester curam tocius Ecclesiae suscepisse videatur. Ac hoc nomine omnium bonorum et piorum laudibus merito celebratur eorundemque praecibus Deo commendatur. Ex quorum numero me ego quoque esse

profiteor, qui omnium Regum Principumque decretis, diris exiliis, extermiis propter Christum dicatus et deputatus, et veluti ovis octisionis mactacioni destinatus, perfugium apud Suam Illustrissimam Dominacionem quero, domicilium ac hospicium. Deinde pensionem, quae me et familiam meam alere posset, supplex peto.

Adducorque in maximam spem me commendacione Vestrae Illustris ac Magnifica Dominacionis adiutum, ista omnia apud Suam Illustrissimam Dominacionem facile esse impetraturum. Nam cum et exempla aliorum, qui hac in parte facilitatem et benignitatem Suae Illustrissimae Dominacionis sunt experti, intueor, cogor bono esse animo et optime de Sua Illustrissima Dominacione sperare. Alioqui si hoc non impetravero, actum est de me pereundumque mihi omnino erit et ad Indos et Turcas commigrandum, si omnium terrarum Christiani Orbis exilio multatus, in ditione Suae Illustrissimae Dominacionis diversorum non fuero consecutus. Aedat itaque Vestra Illustris ac Magnifica Dominacio in me specimina vere christiani Principis, respondeat meae expectacioni, quam ego praecipuum in hoc Regno cum aliis vere Christum professis de Vestra Illustri ac Magnifica Dominacione concepi. Aspiciat me iam tandem benignis oculis et calamitatem meam etiam atque etiam reputet rebus que meis sua autoritate, opera et commendacione apud Suam Illustrissimam Celsitudinem prospiciat. Porro, sive Sua Illustrissima Celsitudo ipsa presenti mea opera uti voluerit, sive mihi in Academia provinciam publice docendi commiserit, talem me prestabo, ne unquam Suam Illustrissimam Dominacionem me invitavisse mihi hospicium praebuisse poenitere possit. Praedicatur Abdias, quod prophetarum (quibus Isabell exicum et necem minabatur) curam suscepit eosque aluerit. Ornatur laudibus vidua Sareptana, quod Heliam, tot persecucionibus agitatum, perfugum et praesidiis humanis destitutum, victu sustentari. Celebratur Onaesiphorus, quod Paulum hospicio exceperit. Extolluntur ac vehuntur laudibus Constantinus, Theodosius, Valentinianus, qui Christum professis, multo calamitatum et afflictionum genere confectis ac propemodum persecucionibus enectis, domiciliis et victu prospexerunt eosque a tyranide in Christum grassancium asseruerunt.

Neque ulla aetas de laudibus Vestrae Illustris ac Magnifica Dominacionis conticescat, si studio et commendacione perfecerit, ut Illustrissimus Dominus Dominus Princeps Prussiae (Philemonem imitatus, quem laudat Paulus, quod viscera Sanctorum refecerit) me suscipiat sarcinque et tectum conservet ac post tot infectos casus et adversitates erigat et recreet. Neque hac opera Vestrae Illustri ac Magnifica Dominacioni crita fructum abibit, rependet enim id illi Dominus cumulatissime. Ac si Sua Illustrissima Dominacio, commendacione Vestrae Illustris ac Magnifica Dominacionis permota et adducta, se talem erga me praestiterit, procul dubio feret a Deo Optimo Maximo (qui Ecclesiam suam vult aliam illam Principum) praemia, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec mens humana cogitando consequi potuit. Datum etc.

Fere ab omnibus hominibus omni spe et auxilio  
destitutus  
pauper Franciscus Stancarus Mantuanus.

a) in ms. Mantuae.

z) sic in ms.

1) Georgius Utšenović, alias Martinuzzi.

2) Isabella.

3) Maciejowski.

N. 1282.

Biežuń, 29.I.1551.

*Nicolaus Jarand Brudzewski, palatinus Lanciciensis,  
Alberto in Prussia duci  
de causa Gregorii (vel Georgii) Obornicki cum Alberto Finck, iudice pro-  
vinciali Hohensteinensi (in ms. Holsteinensi).*

*Sigill.*

*(Adest versio germanica)*

H B A, B 2, K.381.

N. 1283.

Posnaniae, 1.II.1551.

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
litteras a Ioānne marchione Brandenburgensi duci perferendas curat.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.381.

N. 1284.

Cracoviae, 14.II.1551.

*Spytek Jordan de Zakliczyn, castellanus Sqdecensis et R.P. thesaurarius  
generalis,  
Alberto in Prussia duci  
pro gratulationibus ob honoris accessionem sibi missis gratias agit; de  
loco persolvendae duci annuae pensionis respondet regem hac in re  
sine consiliariorum suorum consensu nihil novi statuere posse.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.381.

*Illustrissime Princeps etc.*

Litteras Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, nuper rime ad me scrip-  
tas, magno cum animi mei desiderio ac voluptate perlegi. Ex quibus  
benignissimum simulque propensissimum erga me Celsitudinis Vestrae  
animum non obscure cognoscere potui. Ac quod Celsitudo Vestra mihi  
de hac nova honoris mei accessione, ad quem providentia divina et Sa-  
crae Maiestatis Regiae, Domini mei clementissimi, singulari gratia evectus  
sum, litteris suis congratuletur omniaque fausta et foelicia precetur, tum  
etiam de me sibi non minus, quam de Magnifice Domino Spithkone de  
Tarnow, antecessore meo, nunc vero Palatino Syradiensi, promittat ac  
persuadeat, illud demum mihi longe gratissimum ac iucundissimum audi-

tu erat. Quam ego Celsitudinis Vestrae in me gratiam ac singularem quandam propensionem, tum etiam conceptam de me opinionem, omni obsequiorum honestorum genere per omnem occasionem promereret et comprobare studebo.

Quod autem Illustrissima Celsitudo Vestra mihi per nuncium suum significare dignata est, ut operam ac diligentiam meam apud Sacram Maiestatem Regiam interponerem ac efficerem, ut hoc stipendum, quotannis a Maiestate Sua Celsitudini Vestrae solvi consuetum, posthac non iam amplius Cracoviae, sed istic in Prussia Mariaeburgi persolvatur, in eo quidem negocio ego revera sedulo operam omnem interposui. Verum quantum promovi, id Celsitudo Vestra ex nuntio colligere poterit. Siquidem Sacra Maiestas Regia, cum nihil absque Consiliariorum suorum et procerum Regni consilio in talibus negociis suapte sponte facere consuevit, nihil hic etiam illis absentibus novum aut inusitatum tentare voluit. Quod vero Celsitudo Vestra, ut nunc numeraretur, litteris suis a me contendenterit, ne hac in parte quidem aliquid obtineri a Maiestate Sua potuit, quandoquidem tempus solutioni constitutum neendum advenerit. Quare me hoc nomine Celsitudo Vestra habeat apud se excusatum, oro. Si enim res per me staret, efficerem omni studio, ut eodem momento numeraretur. Quod re ipsa Celsitudo Vestra comperiet, ubi tempus et mandatum Maiestatis Suae accesserit. Caeterum Celsitudinem Vestram orandam esse dignum putavi, ut me gratia et clementia sua complecti [dignetur], qua olim fratrem meum uterinum, Dominum Stanislaum Odrowasz, complecti et prosequi dignata est. Ego enim nollem illo inferior hac in parte esse, sed omnibus modis gratiam Celsitudinis Vestrae mihi demereret et devincere studiose cupio. Quam cum me habere intellexero, efficiam omnibus conatibus, ut Celsitudo Vestra me sibi addictissimum servitorem habeat... Datum Cracoviae, XIII Februarii, anno Domini MDLI.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae  
a) addictissimus servitor

Spitek Jordan de Zaklyczyn, C[astellanus] S[andecensis]  
et Regni Poloniae Tesaurarius Generalis manu sua  
subscriptis.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria.*

N. 1285.

Cracoviae, 17.II.1551.

Ioannes Ocieski, R.P. vicecancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
pro muniberis (duabus pateris argenteis), per doctorem Franciscum  
Thege, ducis consiliarium, sibi allatis, gratias agit servitiaque sua  
offert.

Sigill.

H B A, B 2, K.381.

Cracoviae, 23.II.1551.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci*

*de regis in rebus publicis ignavia, ob aegritudinem Barbarae oborta;  
de castellani Cracoviensis [Ioannis Tarnowski] in vitam privatam  
secessione; de coniecturis ad mortem reginae pertinentibus; de iti-  
nere in Lithuania rursus dilato; de precario statu thesauri regii  
et de regis prodigalitate etc. In annexa schedula rogat, ne litteras  
suas in aula ducis quivis legere possit.  
(Cum schedula adiuncta)*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.381.*

... Illustrissime Princeps.

Expectamus (in spe et metu) mutacionem regiorum morum vel affectuum a morte coronatae nostrae futuram. Utinam in melius! Pertesi enim iam omnes sunt talis ignaviae vel socordiae, aut nescio quid est miserius, quod effari liceret. Dominus Castellanus Cracoviensis aperte dicit nulla amplius negotia nobiscum se habere velle, affirmans nihil inconstans aut vanius (ne eius verba acriora exprimam) esse nobis. Ecce, cuius autoritate nuper omnia agebantur, secessit, ut privatim vivat. Quoniام vero offensionibus quibusdam et animi impaciencia, magis quam iudicio, secessionem hanc factam esse existimamus (debuit enim et tenebatur prius serio admonere et omnia remedia tentare, eciam cum periculo rerum suarum, ut nos reformaret, antequam deseret navem, cui et ipse non minimam errandi causam dedit ab inicio), credo illum aliquando ad nos reversurum, nisi forte in extrema pericula incidamus, que quam plurimi metuant.

Porro mortem Reginae ad 24 huius, hoc est ad crastinum, aliqui medicorum reiecerant, quod adhuc non dubitant. Putrefacta sunt enim omnia intestina, et presertim vasa venerea, ut turpe sit dicere. Est tamen quidam inter medicos, nescio quam syncerus, qui dicit posse illam adhuc ad Septembrem vivere. Quod quidem nemo (nisi forte in graciam Regis) credit, cum et ipse non credat. Dicunt autem intimiores Regis ardorem nonnihil deferuisse ob incredibilem fetorem, in quo cum ea continue herebat, affirmantque ante dies decem, per quattuor continuas noctes, puellam adulteram in lecto cum Rege fuisse, nescio, si ex eius gynecio, sed ita puto. Alii vero (etsi hoc non negent) dicunt Regem porro maximo vasis illius putridi desyderio teneri. Totos enim dies cum ea est, noctibus alio translatis. Metuuntque aliqui, qui Regem et has dyaboli artes observant, ne Rex a morte illius animi tedio in periculum veniat, si tales incantaciones (viva illa) non dissolvantur.

Item videns iam illa se brevi morituram esse, petivit a Rege, ut suum cadaver in Littwaniam duceret. Non putrefieret enim, inquit, in hac regione sepultum. Ecce, quid aliud Poloni maius pro illa facere potuerunt, quod non fecerunt? Et tamen non est contenta Sua Maiestas foetidissima. Promiserat autem Rex illi, quod petebat. Cumque a quibusdam admoneretur a longe, respondit: Inimicus meus est, qui hoc disuadeat. Disuasit tamen Marschalculus Littuaniae,<sup>1)</sup> dicens ne quaquam decere. Mox enim dicerent homines, quod Maiestas Vesta metuebat, ne Poloni cum tempore eam effoderent eicerentque, aut dicerent, quod Senatores Poloni talem sepulturam in Polonia permittere noluerunt.

Iter in Littwaniam iterum ad primam Aprilis propositum est. Sed hoc non videtur futurum. Si enim Barbara morietur, non poterit sepultura hoc temporis spacio absolvvi, nisi forte (quod non speratur) obscure et quodammodo privatim fieret. Si autem non moreretur, egrota ire non poterit.

Item ex secrecioribus practicis accepi Reginam Bonam, mox a morte Barbarae, ad levandum luctum filio 40000 talerorum dono missuram et hoc pacto inicia reditus in graciam facturam esse. Et quamquam dici possit: quid hoc est inter tantos? sicientem tamen humefaciet agrum, ubi post tot largiciones et indecoros sumptus magna egestas inventa est, et tamen non cessamus. Vivit hic quidam homo vanissimus (et furca fortasse dignus), cognomine Hübner, de Frankffordia ad Oderam, Illustrissimae Vestrae Celsitudini, ut puto, non ignotus, nomine necromantici sive magi Ducis alicuius aut Comitis sumtus faciens regio aere. Huic (preter cetera) nuper donata sunt ligna, que ex Littwania Gedanum mittuntur, pro quibus ille 3000 talerorum accepturus dicitur.

Item Domino Littwaniae Marschalco dati 100000 talerorum, preter tot et tam magni momenti possessiones. Qui tam liberalis est, ne dicam prodigus, ad corrumpendos homines, quod bene medietatem illius summe in luxurioso proximi carnisprivii convivio insumpserit, pompose fastuoseque omnia agens. Donavit Stanislao Miszkowski, qui illi cancellariatum Littwaniae attulit, in peccunia et alio genere vario munerum ad 800 florenos, Stanislao Tęczinski, Capitaneo Belzensi, et eius uxori, Stanislao Ostrorog, Przeczlao Gnojenski, Szwięciczki etc., hospitibus suis (quos plurimos habuit in Brescie Littwanico, singulisque aliquid donavit), in cyphis, anulis, sobelinis et ceteris pannis aureis et sericeis ad 1800 florenos, preter alias varios sumptus. Dedecus ut nobis, illi tribuamus honorem, utque interim nos egeamus ipsi, mendicantes non satis regalibus modis peccuniam.

Item relictus hic erat Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Cubicularius, Polliczki, ni fallor, dictus. Post discessum Legatorum Illustrissimae Vestrae Celsitudinis, huic (in fine Decembri) ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem litteras credidi, homini ebrio et aliis modis inepto (verum enim et hic dicendum est, propter decorum Illustrissimae Vestrae Celsitudinis), que an reddite sint, dubito. Nulla enim eorum mencio fit in litteris, quas accepi 27 Ianuarii, Monte Regio scriptas. Item 24 Ianuarii, per quendam civem Regiomontanum, litteras ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem dedi. Ceterum, ut ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem ex Littwanico itinere descendam, de hoc certi nihil dicere possum (quamquam nescio, si quid cupidius nunc opto, quam ut Vestram Illustrissimam Celsitudinem videre et alloqui liceat), cum et ipsum iter Littwanicum et cetera omnia apud nos incertissima sint. Curabo tamen (quantum in me erit), ut veniam. Quod si ante autumnum fieri non possit, videobo, ut sit in autumno. Sed de hoc, quod in mea potestate non est, certo nihil promittere possum, neque volo... Craccoviae, 23 Februarii, 1551.

Stanislaus Boianowski.

*Schedula adiuncta:*

Item hoc celare Illustrissimam Vestram Celsitudinem non expedit, me esse cum magno terrore admonitum, quod Regia Maiestas pessimo et offendissimo sit contra me animo, quamquam ex vultu et verbis nihil tale colligere possum. Causa: Ille, inquit, omnia, que hic fiunt, Duci Prussiae perscribit, que illum scire non expedit etc. Quare, etsi ego aliquid tale

facere soleo, sciens Illustrissimam Vestram Celsitudinem nostrae Reipublicae bene velle et cum ea coniunctam esse, amicumque, non inimicum, ut fortasse apud se cogitant, quamvis hoc strictissime dissimulent, Regni Polonie semper futurum, tamen hoc celari oportuit, ob tam sceleratos nostri temporis mores. Rogo itaque et admoneo Illustrissimam Vestram Celsitudinem, ut meas litteras non quivis oculus videat, iam enim sine magno meo malo talis opinio non preteribit.

Cepta via semper ambulabo, sperans in Domino Deo nostro. Nec unquam malum laudabo.

1) *Nicolaus Radziwill « Niger ».*

*N. 1287.*

*Brudzewo, 1.IV.1551.*

*Nicolaus Jarand Brudzewski, palatinus Lanciciensis,  
Alberto in Prussia duci  
de causa sua cum Alberto Finck de Sibolthowa, iudice provinciali Hohensteinensi, ut sibi certum tempus statuatur et iusti iudices designentur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

*N. 1288.*

*Iaroslaviae, 7.[IV].1551.*

*Anna de ducibus Masoviae Odrowążowa, palatina terrarum Russiae,  
Alberto in Prussia duci  
litteras ducis, de persolvendo debito eam admonentes, per Bernardum Pretwicz, capitaneum Barensem, sibi redditas esse nuntiat eiusdemque debiti persolvendi prorogationem exorat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

*N. 1289.*

*Posnaniae, 12.IV.1551.*

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
pro Francisco Stancaro Mantuano in numerum professorum Academiae Regiomontanae ascito gratias agit eumque mox Regiomontum prefecturum commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime Princeps etc.*

*Maximae Vestrae Illustrissimae Dominacioni a me habentur et aguntur gracie, quod committendum non putavit, quin Franciscum*

Stancarum Mantuanum, virum egregium ac eruditione et pietate praestantem, multis infestissimis casibus iactatum, suscepit et in numerum professorum Academiae Regiomontanae asciverit ac illi munificiam suam benigne detulerit. Cumque Vestra Illustrissima Dominacio non tam mea commendacione adducta, quam pietate sua insita et apud omnes bonos decantatissima permota, talem se praebuerit, nullum est dubium, quin hoc nomine a Domino Iesu Christo, Servatore et Liberatore nostro, prolixissima praemia sit relatura, qui dixit: Qui contulerit in minimum beneficium nomine discipuli, non perdet mercedem suam.

Quod vero diucius hic immorari coactus sit, uxori in causa fuit, quae itineris incommoditate et aquarum magnitudine impedita ad eum venire hucusque non potuit. Ea tamen iam potitus et occasionem suscipiendo itineris nactus, ad Vestram Illustrissimam Dominacionem per me allegatur, ut provinciam sibi abs Vestra Illustrissima Dominacione demandatam et destinatam obeat. Illum ego itaque iterum atque iterum Vestrae Illustrissimae Dominacioni commendo rogoque, ut vitam, casus, aerumnas et calamitatem hominis penitus introspiciat atque apud se alcius eciam atque eciam reputet. Qui propter professionem Evangelii ac verae doctrinae non solum plurima vitae discrimina adiit, dura exilia et graves proscripciones pertulit, verum eciam ad extremam egestatem redactus est et tocius rei familiaris iacturam fecit. Ac nisi eum Vestra Illustrissima Dominacio singulari benignitate complexa fuerit et commodis fortunisque ipsius prospexerit, actum de illo fuerit, et fortasse illi omnium durissimo mortalium malo, nempe fame, pereundum erit. Collocabit vero Vestra Illustrissima Dominacio beneficium penes hominem gratum et memorem et penes eum, cuius virtus, eruditio, pietas, ac postremo calamitas, id optimo iure merentur. Cuius tuendi, provehendi, conservandi et sustentandi dum curam suscepit, veri Principis nutriciique Ecclesiae munus adimpleverit et ad alias suas egregias virtutes, per totum Orbem Christianum iam vulgatas, non mediocrem cumulum adiecerit. Ac a Deo, Patre Domini et Mediatoris nostri Iesu Christi, praesentis et futurae vitae praemiis cumulabitur, quibus eos affectos et ornatos, qui curam ob veritatis professionem proscriptorum suscepit, Sacrae nobis Litterae prodiderunt.

Iam vero hic Doctor Stancarus bibliothecam seu totam supellectilem librorum suorum reliquit apud Generosum Dominum Nicolaum Olesznicki in arce Pinczow, loco non procul a Cracovia dissito, quae illi magnam sollicitudinem iniecit et hactenus animum eius mordet. Neque iniuria, siquidem illa destitutus, non poterit munus suum pro dignitate obire et spartam, quae illi demandata est, ornare. Neque ego dubitarem ad eam conducendam operam et sumptus impendere, nisi me multa deterrent pericula, quae interea ab adversariis verae doctrinae, seu quacunque alia occasione, bibliothecae actidere possent. Quare Vestra Illustrissima Dominacio fortasse commodius fecerit, si alicui ex civibus Cracoviensibus, qui isthic negocia Vestrae Illustrissimae Dominacionis procurant, praecipue vero Ioanni Wonsam, negotium dederit, qui eius isthinc abducendae et Regium Montem sub titulo Vestrae Illustrissimae Dominacionis producendae curam susciperet...

Datum Posnaniae, XII Aprilis, MDLI.

a) Illustrissimae Dominacionis Vestrae servitor  
Andreas Comes a Gorka etc. subscripsit.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria*.

*Andreas a Górkā, castellanus Posnaniensis,*

*Alberto in Prussia duci*

*litteras latine scriptas postulat; velatis verbis multa loquitur de occulto  
negotio olim Riesenburgi tractato; laudat ducis curam in augenda  
dignitate regis; conqueritur de nimia auctoritate ordinis spiritualis;  
refert de Nicolao Radziwill; de Bernardo Pretwicz.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime Princeps etc.*

Reddite mihi sunt Illustrissime Dominacionis Vestre littere, manu propria eiusdem exarate, quas ea, qua par est, gratitudine excepti easque maiori, qua potui, diligencia perlegi. Sed, ut ingenue fatear, contenta prefatarum litterarum plane intelligere non potui, ob eam potissimum causam, quam eciam multocies antea Illustrissime Dominacioni Vestre declaravi: quod linguam Germanicam non bene intelligo, ac ob eam causam multocies Illustrissimam Dominacionem Vestram oratam habui, ut, cum Illustrissimae Dominacioni Vestrae contigit vel mecum ore tenus colloqui vel aliquid ad me litterarum dare, presertim de rebus aliquis importancie, it<sup>z)</sup> ut Latino ideomate<sup>z)</sup> et loqui et scribere ad me dignatur, ex quo in lingua Latina parum meliorem progressum fecerim quam in Germanica. Ac quod non ita, prout res ipsa postulat, Illustrissime Dominacioni Vestre rescribo, nulle alie rei Illustrissima Dominacio Vestra imputat, quam ei, de qua paulo alcius memini, et si post hac aliquando ad me manu sua scribere voluerit, dignetur id Latino ideomate scribere, rogo.

Illustrissima Dominacio Vestra in litteris suis, si bene eas intellexi, mencionem in primis fecit earum rerum, quarum ego gracia ad Illustrissimam Dominacionem Vestram Risemburgum veneram etc., quod hoc idem negotium iterum ad Illustrissimam Dominacionem Vestram delatum est, idque ab hominibus non contempnende, tum eciam mediocris condicionis. Et cum Illustrissima Dominacio Vestra videat rem hanc cedere posse in immortalē laudem nominis Sacre Maiestatis Regie, Domini nostri, tum eciam in uberrimum commodum incliti Regni huius, eandem plurimum dolere, quod hec res tam diu sepulta iaceat. Ideoque omnes cogitationes suas eo dirigit, ut aliquis modus iniri possit, quo citra extremam perniciem illorum etc. hominum negotium hoc agredi posset, eoque magis ad hoc inducitur, cum videat, das bereit dise bereitschaft vorhanden und di veil der liebe Gott schikt solche vege, dur[ch] velche aiier furstliche gnade spire di sach mitler zait vas reiffer vorden, et timeat, dum Illustrissima Dominacio Vestra in hoc negocio tam diu deliberat, ne oblata occasio e manibus elaberetur, proponitque pro sua non vulgari prudencia aliquos modos, quibus illi videretur hoc negotium agrediendum esse, quos ego ob prolixitatem commemorare nolo, iubetque mihi, ut ego hac in re deliberacionem meam Illustrissime Dominacioni Vestre describerem. Quamvis impar onus humeris meis Illustrissima Dominacio Vestra imponere dignata est, neque tantum ingenii mihi inesse scio, ut pro magnitudine cause aliquid deliberacionis mee in medium adferre possem, ne tamen voluntati, imo debito meo contrave-

nire viderer, scribam aliquid, quamvis non prudenter, verum candide et integerrime.

Illustrissime Princeps, certe non possum nisi magnis extollere laudibus tantam curam et sollicitudinem, quam Illustrissima Dominacio Vestra habet nedum in tuenda, verum eciam augenda dignitate Sacre Maiestatis Regie, Domini mei clementissimi, commodisque incliti Regni Polonie, ac nullum dubium est, quod hec res, divina opitulante gracia, magnum adferret et honoris et uberrimarum actessionum incrementum. Sed quociescumque mecum ipse reputo hos modos, quos de agrediendo negocio Illustrissima Dominacio Vestra describere dignata est, licet videam illos prudenter deliberatos esse, suntque media honestissima et accommodatissima agrediende rei, tamen ut brevibus circumstanciis utar, semper ille prior etc. metus ob oculos mihi versatur, vereor que plurimum, ne, dum dignitati et commodo unius partis prospicere velimus, alteri ruinam citra omne commodum nostrum adferamus. Nam licet ille unus, utinam ad superos, sublatus est, vereor, quod in locum illius multo deterior successit. Alterius auctoritas, quamvis quodammmodo debilitata est, verum non usque adeo, ut negocium hoc eo inscio perfici possit. Neque Illustrissima Dominacio Vestra paciatur sibi persuaderi Dominum Palatinum Cracoviensem,<sup>1)</sup> affinem meum, in tanta gracia esse. Fucus est. Preterea sciat Illustrissima Dominacio Vestra illum papisticis superstitionibus adeo deditum et involutum esse, ut nemo sit, qui cum illo toto in Regno comparari possit, videturque hac in parte vix non superare omnes Episcopos.

Et cum in Regno hoc, sicut et in aliis, tanta auctoritate ordo spiritualium polleat, quo pacto negocium hoc secure inhoari potest? Procul dubio nedum manibus et pedibus obstabunt, verum eciam negocium ad illa capita etc. prodent. Utinam Serenissimus Rex noster in cognizione divine doctrine perseverasset, multo facilius istis obstaculis modus inventari potuisset. Profecto nescio, quomodo citra illorum hominum iacturam vel, quod Deus procul avertat, capitale excidium, rebus in hoc statu collocatis, incipi negocium posset.

Quod Dominum Radivilonem, Palatinum Vilnensem et multis aliis dignitatibus et opibus insignitum, attinet, de illo hoc merito scribi potest, quo apud Serenissimum Regem pre ceteris auctoritate pollet, sed adhuc Nicodemus est. Profectione mea ad Sacram Maiestatem Regiam nullum commodum adferrem, nam Maiestas Regia non bene contenta de me est, quod Cracoviam ad illa omagia etc. non venerim. Suntque nonnulli, qui hoc affirmare non verentur Illustrissimam Dominacionem Vestram illuc eciam suasu meo non profectam esse.

Ad assignatum mihi per Illustrissimam Dominacionem Vestram locum non grave mihi fuisset ad eandem venire, sed nova iterum daretur occasio malis hominibus interpretandi hunc meum ad Illustrissimam Dominacionem Vestram adventum quibusdam conspiracionibus, que et ab Illustrissima Dominacione Vestra et a me sunt alienissima.<sup>2)</sup> Sed et iste ficticie fabule parum me moverent, si adventus meus ad Illustrissimam Dominacionem Vestram aliquam utilitatem adferre posset. Sed si eciam ad Illustrissimam Dominacionem Vestram venirem, nihil aliud mecum adferrem quam id, quod scribo.

De rebus illis, de quibus Pretficz nomine Domini Palatini Cracoviensis cum Illustrissima Dominacione Vestra contulit, varia suspicari cogor. Et si prefatus Prethficz litteras fidei, quas creditivas vocant, a Domino Palatino Cracoviensi ad Illustrissimam Dominacionem Vestram non habuit, non videtur mihi, ut ista ex mente et voluntate prefati

Domini Palatini procederent. Tamen si ista Illustrissima Dominacio Vesta a Domino Palatino investigari voluerit, hoc ego relinquo arbitrio Illustrissime Dominacionis Vestre.

Cumque res prefate omni ex parte ita sese habeant, non video, qua alia ratione huic rei hoc tempore melius consuli possit, ne nobis e manibus elaberetur hec honestissima occasio, quam ut Illustrissima Dominacio Vesta illos homines persuasionibus suis prudentissimis ad hoc induceret, ut adhuc meliorem occasionem expectarent. Interim precandus est Deus, Pater Domini et Liberatoris nostri Iesu Cristi, ut oculis misericordie sue sancte nos inspicere ac cordibus eorum, quorum interest, hanc mentem Spiritu suo Sancto inspirare vellet, ut omnes curas et cogitationes suas intenderent in laudem et gloriam nominis sui sancti et in incrementum cristiane et afflige Eclesie sue sancte.

Hec ego, Illustrissime Princeps, pro captu ineptis<sup>2)</sup> ingenii mei scripsi, non ut prudentissimas illas ac mirum in modum necessarias deliberaciones Illustrissime Dominacionis Vestre confutare vellem, sed ut satisfacerem voluntati et mandato Illustrissime Dominacionis Vestre. Neque existimet, rogo, mihi quidquam decessum esse de mea illa priori fide et alacritate, quam habui in promovendo hoc negocio. Is namque sum, qualis antea fuerim, et nedum labores subire, sumptus facere, sed et sanguinem meum effundere, vittam denique ipsam omni discrimini exponere, cum pro conservanda et augenda dignitate Serenissimi Regini nostri, tum pro propagando commodo Regni huius, citra omnem iactanciam scribendo, paratus sum. Et quod non adeo exacte ad omnia Illustrissime Dominacioni Vestre rescripserim, prout dignitas eiusdem et magnitudo cause postulabat, id malicie imputandum non est, sed superius descripte cause. Nec dubito, quod id a Illustrissima Dominacione Vestra impetraturus sum, quod in exordio epistole mee tanta cum diligencia ab eadem pecii... Datum Posnanie, 12 Aprilis, 1551.

Illustrissime Dominacionis Vestre servitor

Andreas Comes a Gorka etc. scripsit.

2) sic in ms.

1) Petrus Kmita.

N. 1291.

Posnaniae, 13.IV.1551.

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
quod ad litteras ducis manu propria scriptas, per Melchiorem Lehen-  
dorff, puerum suum, sibi allatas, statim non responderit, occupatio-  
nibus obrutus, se excusat.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.381.*

Cracoviae, 29.IV.1551.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci*

*scribit aliqua nova ex Germania (de oppugnatione Magdeburgi) et ex  
Hungaria, de rege Galliae cum Turca classem coniungere volente,  
de oratore regis Romanorum [Ferdinandi I], de uxore castellani  
Cracoviensis [Ioannis Tarnowski] etc., et intercedit pro subdito  
ducis, Ioanne Baumburger, a capitaneo Riesenburgensi male tractato.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.381.*

**Illustrissime Princeps.**

Nihil habeo, quod ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem scriptu dignum videretur. Res enim nostrae eodem, quo supra, ordine (vel pocius turbine) aguntur, nec obscure facciones fiunt, firmiores, nisi fallor, prioribus, contra aulicas practicas, de quibus Illustrissimae Vestræ Celsitudini per eius cubicularium, qui postremo hic fuit, fusius scripsi. De rebus externis nos certi nihil habere solemus, nec eciam, ut tale quidpiam sciamus, curare volumus. De Maydeburga ex rumore tantum mercatorum audimus Marchionem Albertum cum certo numero pedutum ad iuvandam eius expugnacionem tendere.

Ex Hungaria inconstantissima est fama. Nunc terrores belli, nunc pax nunciatur. Pacem tamen hoc anno futuram est verisimile. Omnibus enim occasionibus nostri Monarche pacis condiciones, eciam iniquissimas, querunt, fortasse, ut eo commodius suis male facere possint. Al-lata est preterea fama (quam aliqui certam esse existimant, ego nescio) ex Constantinopoli, Turcam et Regem Gallie maximas classes parare easque coniungere velle, nescitur, in quem usum. Item Orator Romanorum Regis ante 10 dies huc venit, nunccians Regiae Maiestati Commissarios sui Regis ad conventus, qui in finibus Slesiae utriusque et Hungariae in proximis Comicis Petrikoviensibus per utrumque Regem ad primam Maii proximam constituti fuerunt, venire non posse. Tractatur itaque cum eo de alio tempore.

Cupit preterea Orator nobisque persuadere nititur, ut omnes finium et aliarum iniuriarum controversias in Caesarem reiiciamus illumque iudicem accipiamus. Quod nescio, si nostri negabunt.

Item ex presencium exhibitore, de quo infra, reliqua gesta Illustrissima Vesta Celsitudo intelliget, si quid erit tale. Diu enim hic immoratus est, poterit dicere de nostris quotidianis occupacionibus et Regina Barbara.

Item sciet Vesta Celsitudo uxorem Castellani Cracoviensis,<sup>1)</sup> filiam Cristoferi Szidlowieczki, olim Castellani Cracoviensis, [mortuam esse].<sup>a)</sup>

Item Ioannes iste Baumburger, subditus Vestræ Celsitudinis, homo gracia et clemencia multorum iudicio Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ dignus, male tractatur a Capitaneo Celsitudinis Vestræ in Risemburk, Iacobo Aurswalt, preter [ius] et equum (ut ille dicit) non auditaque causa. Et, quod peius est (si verum est), cum litteras a Vesta Celsitudine ad eum attulisset (quibus illi Celsitudo Vesta mandare dignata est, ut nulla vi erga illum utatur, sed si quid contra eum haberet, id apud Celsitudinem Vestræ quereretur), in carcerem coniectus est. Non

iuvit eum, quod afferebat unicuique de se querenti iustificari velle. Non iuverunt littere Celsitudinis Vestre etc. Cum autem ego sciam Illustrissimam Vestram Celsitudinem et eos, quos suis dicionibus prefecit, iusticiae esse studiosissimos, nec scio, an ullibi melius audiat iusticia, quam apud Ducem Prussiae, miror, quid hoc fiat. Videtur enim rem iustissimam Baumburger petere, ut audiatur, vult respondere omnibus de se querentibus. Iudicem optat Illustrissimam Vestram Celsitudinem, eius vult parere decretis, modo illum ab odiis istorum, qui potestatem super eum habent, liberare et, ut iuste cum eo procedatur, mandare dignetur. Rogat itaque (et ego pro illo rogo), ut eum Illustrissima Vestra Celsitudo audire dignetur. Habet Regis nuper mortui et moderni litteras, quibus eorum Maiestates testantur eum esse probe et honeste conversacionis hominem, et omnes, qui eum hic norunt, id testantur. Rogo tamen Vestram Celsitudinem, ne pars eius adversa hanc meam pro eo interpositionem resciat, cum satis alioqui apud quosdam Vestrae Celsitudinis odiosus sim, quos ego quidem non solum non offendи, sed ne novi quidem, et ipsi me multo minus fortasse neverunt. Quod quidem ego ignoscō, certissime credens, quod nesciunt, quid faciunt. Malicia enim hoc non faciunt, et errorem illis non atribuo... Craccoviae, penultima Aprilis, 1551.

Stanislaus Boianowski.

a) *haec verba in textu desunt.*

1) *Ioannes Tarnowski.*

N. 1293.

Grodek, 18.V.1551.

*Preslaus Gnojeński, capitaneus Wysociensis, aulicus regius,  
Alberto in Prussia duci  
pro educatione filiorum suorum (in aula ducis) gratias agit, et nunc  
minorem natu filium duci commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1294.

Varsaviae, 20.V.1551.

*Georgius Jeżowski, castellanus Varsaviensis,  
Alberto in Prussia duci  
pro nobili Erasmo Wykowski, a custodibus silvarum ducis capto, inter-  
cedit, ut e captivitate liberetur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime Princeps etc.*

Perlatum est ad me, quod Nobilem Erasmum Vikowski, amicum meum et hominem de me bene meritum, dum non ita pridem per sylvas Illustrissimae Dominationis Vestrae non procul ab arce Piss iter faceret,

custodes sylvarum eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae, interfecto eius servitore, captivarunt et ad arcem Piss deduxerunt, in qua hucusque detinetur. Idque aiunt ea tantum de causa factum, quod bombardam penes se haberet, quam ille non venationis, sed defensionis suae causa more viatorum habebat. Hoc tametsi pro certo affirmare nolo, nihil enim in hac re certi et comperti habeo praeter auditam, quia tamen res amici mei agitur, habens fiduciam et spem in gratia Illustrissimae Dominationis Vestrae, quam magnam et singularem erga me semper agnovi, ab eadem Illustrissima Dominatione Vestra rogandum duxi rogoque humiliter, ut quacumque de causa ille detentus est, si nihil eiusmodi fecit, propter quod gravius puniri debeat, ut eum petitionis meae causa liberum dimittere mandare dignaretur. Id ego omni observantia perpetuisque servitiis meis Illustrissimae Dominationi Vestrae mereri contendam... Datum Varsoviae, XX Maii, anno Domini MDLI.

a) Illustrissime ac Excellentissime Dominationis  
Vestre perpetuus servitor  
Ieorgius Ierzowsky, Castellanus Varsaviensis,  
Serenissime Reginalis Maiestatis Curiae Magister.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria.*

N. 1295.

Posnaniae, 25.V.1551.

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
virginem Annam [Pfennig] cum Ioanne Secluciano matrimonium initu-  
ram commendat.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.381.

N. 1296.

Srzeńsko, 28.V.1551.

*Felix Srzeński, palatinus Plocensis,  
Alberto in Prussia duci  
de nata duci filia gratulatur speratque fore, ut aliquando tandem etiam  
filius masculus duci nascatur; sententiam ducis in negotio matrimo-  
nii unius ex regnulis Poloniae cum Ianussio duce Holstinensi (Olsathi-  
ensi) scire vult.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.381.

Halicz, 28.V.1551.

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,  
Alberto in Prussia duci*

*Albertum et Iacobum Kłoński, viros militares, et alios milites commen-  
dat, rogans, ut eos dux in servitium suum assumat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

Comendatis etc.

Illustrissime Princeps.

Illustrissima<sup>2)</sup> Excelencia Tua litteris suis mihi mandari<sup>2)</sup> dignata est, ut militie equestris ex finibus Regni Poloniae probos et idoneos viros servicio militari mea opera conducerem. Quod libenti ex animo facio et faciam. Itaque duos milites, probos et idoneos viros, miliciae equestris expertos, Illustrissime Excelencie Tue mitto, Albertum et Iacobum Klunskie, de familia nobili beneque educatos, de quorum integritate, fama et probitate mihi fides indubia constat. Qui ab infancia sua in domo mea serviebant et mecum pariter in finibus Regni Poloniae ad propulsandas hostium incursions fortiter viriliterque, non velata facie, resistebant et obstabant. Et conreditores in magnis exercitibus, absente me, fiebant. Qui me rogatum habuerunt, ut Illustrissime Excelenciae Tuae in servitores comendarem. Quod libenter feci, et est mihi indubitata fides de Tua Illustrissima Excelencia, ut Illustrissima Excelencia Tua ob mea servicia in servitores Sue Illustrissime Excelencia actipiet. Hos itaque milites, servitores meos, Tue Illustrissime Excelenciae comendo suplicatumque habeo, ut meo interventu posint<sup>2)</sup> esse servitores Tue Illustrissime Excelenciae.

Sunt mihi et alii milites nobiles, probi et idonei, strenui, quod de domo et familia Stacherow, qui etiam mecum pariter in serviciis milicie equestris in finibus Regni Poloniae fortiter contra inimicos hilari et non timido fronte se exhibuerunt, qui etiam me suplicatum habuerunt, ut Illustrissime Excelencia Tue in servitores comendarem. Sunt etenim homines strenui et tunc temporis in finibus Regni Poloniae stipendiis non utuntur propter pacem, quos etiam Serenissimus Rex noster Poloniae de bonis ipsius Maiestatis Regie obligatorii, circa que bona ocupabantur, eximere dignatus est. Nunc itaque nulla re sunt occupati. Nam sunt de bonis exempti, circa que versabantur. Quos etiam in servitores Tue Illustrissime Excelenciae comendo, licet tunc temporis proficisci ex hinc ad Tuam Illustrissimam Excelenciam propter eorum ocupacionem in acceptandis pecuniis non posunt.<sup>2)</sup>

Insuper Tua Illustrissima Excelencia litteris suis mihi mandare dignata est, quatenus Tue Illustrissime Excelencia millitum in numero mille conducerem, et in hoc numero quatuor militiae praefectos haberem, qui mecum essent parati ob ineunda servicia Tue Illustrissime Excelencia, et ut litteris meis Tue Illustrissime Excelencia literis meis significarem quemlibet de nomine, qui deberent fore in hoc numero. Misi ad unumquemque litteras meas, nam uni fuerunt Ungarie, alii autem in finibus Regni Polonie servicio militari ocupati, ut mecum pariter convenient in unum locum. Cum quibus ego loquar et Tue Illustrissime Excelencia significabro litteris meis quemlibet de nomine. Unum autem hoc rogo, ut

pecuniis annalibus, antequam proficisci debuissent, a Tua Ilustrissima Excelencia essent provisi.

Est et aliorum millitum idoneorum multus numerus in finibus Regni Poloniae, qui hoc sciendo, quod ego sum servus Tue Ilustrissime Excelencie, ut Dux Visnyevieczki<sup>1)</sup> et alter Dux Wlodzimirski,<sup>2)</sup> et multi alii, qui magno numero millitum sunt stipati, qui etiam desiderant esse servos<sup>2)</sup> Tue Ilustrissime Excelencie, qui tantum monitionem et avisacionem litterarum a Tua Excelencia expectant, ut de his omnibus hi milites duo lacijs coram Ilustrissima Excelencia Tua enarabunt... Datum in Halicz, feria quinta ipso festo Sacratissimi Corporis Christi, anno Domini 1551.

Procopius Syenyawski, Dapifer Leopoliensis,  
Tue Ilustrissime Excelencie minimus servitor.

z) sic in ms.

1) Wiśniowiecki.

2) Constantinus Basilius Ostrogski.

N. 1298.

Lublini, 3.VI.1551.

*Ioannes Jabłoński*

*Alberto in Prussia duci*

*rogat, ut dux sibi assignatum salaryum adaugere velit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1299.

Lublini, 7.VI.1551.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,*

*Alberto in Prussia duci*

*de fimo regis proposito cadaver reginae Barbarae Vilnam sollemniter  
ducendi et de sumptibus ad instituendas exequias faciendis; de gra-  
vibus periculis ex parte Turcarum vel Moldavorum impendentibus.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.381.*

Illustrissime Princeps.

16 Maii dedi ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram litteras, quotidiana accidencia continentes. In quibus me unum turpiter feffellit, sed id ex ore Vicecancellarii, qui affirmabat 22 eiusdem Reginae Barbarae sepulturam Craccoviae futuram. Instructus nempe fuit, una cum quibusdam aliis, itidem, ut credo, ad menciendum privilegiatis, ut talem famam spargerent hac, ni fallor, cauzione, ne Senatores Craccoviam convenirent ad hoc (quod nunc fit) disuadendum vel impediendum. Audiveram quidem 8 Maii (quo videlicet mortua est) in camera regia, quod in Littwaniam ducenda esset, sed malui Cancellario credere mencentibus,

quam aliis vera dicentibus, ut nunc apud nos mos est. Nec me pudet mentitum esse, postquam talem disciplinam in dies magis crescere, immo florete video.

Ducimus ergo putridum solacium nostrum non sine dolore simul et ludibrio et dedecore, nec sine maximo Reipublice periculo. Ludus enim fuisse nunc videntur omnes illi errores, occasione istius matrimonii introducti, respectu presentis tragediae. Non solum enim illos, qui prioribus turpitudinibus resistebant, sed eos eciam, qui assistere non dubitabant, nunc mirum in modum exacerbatos effecit hec rei indignitas, contra omnium Polonorum et Littwanorum sentencias suscepta, preter aulicos aliquot phinanciarum magistros (inter quos unus excellens, ut supra), qui in faciem quidem aplaudunt, aversaque facie subsannant. O pestes!

Iam quid mali hec nostra talis profectio habeat, non facile in toto scribi potest, qui alcius rem perspicere velit. Si enim inter magna mala, sumptum magnum in magna penuria (que quidem adhuc ex recentibus opibus utcumque vulgaribus oculis non ita, ut est, appareat) numerare nolumus, si omnium rerum deffectum et summam caristiam in adeunda Littwania spernimus, ubi plurimi homines fame moriuntur et infinita extremaque mala ob hanc perpetrantur (quod quidem si non fieret alioqui scelerato animo, necessitas facere cogit), ubi tandem venientes nos oportebit aut fame laborare, aut illarum<sup>2)</sup> incolarum reliquam buccellam panis ex ore famelico eripere. Porro, an hoc contemendum malum erit, omnium subditorum, in primis vero Senatorum animos ex offensis offendissimos reddere, atque in tali omnium rerum et negotiorum Regni perturbacione discedere et quasi domo incensa fugere?

Iam si omnia hec et similia multa, ut iusticiam neglectissimam et cetera, parvipendere velimus, facileque recuperari posse dicemus, certe periculum ex Valachia, sive per Valachiam a Turcis, maximum pro foribus est, tam certum, si quidpiam aliud. Non quidem vulgare illud periculum, qualia multa sepius ab incursionibus extemporaneis vidimus, sed de subiugacione et tyrannica perpetuo possessione res agitur. Primum (quod nullus Rex Poloniae fecit) ter in Turciam pro pace sive induciis obtinendis modernus Rex legatos misit, nec tamen obtinuit. Que quidem et ob hanc nostram (quam Turce probe norunt) ignaviam et discordiam, et ob Palatini Valachie<sup>1)</sup> ad se deffectionem, quam illi iam olim futuram sperabant (de qua Illustrissimae Celsitudini Vestrae aliquocies scripsi et que iam effectum suum sortita est), negate sunt. Deinde ob illatas per Prettwicz et alios nostrates Cozakos in finibus iniurias (ut illi dicunt), pro quibus componendis iam sepius utrinque Commissarii deputati fuerunt, sed nunquam aliquid tale effecerunt, manifestissime nobis a longo iam tempore minabantur, se videlicet ulcisci velle.

Nunc Palatinus Valachie, cum duobus Sădziakis et Turcico exercitu, in proditum a se patriam reddit, suscepta apud Cesarem Mahometica religione, a qua, dum abesset, omnes primores et mediocris ordinis homines defecerunt, audientes eum Turcam esse factum. Illorum magna pars ad nos venit, suo et reliquorum nomine rogans, ut eos Rex pro suis agnoscat et illos paucis equitibus aut pauca peccunia iuvet, se velle suo et suorum extremo periculo Turcis resistere, nec tam perfidum Dominum quondam suum amplius admittere. Et ut illis Rex credere possit, volunt primarias 4 arces in potestatem Regis dare, ut illis suos preficiat Capitaneos etc. Nos quidem sentimus illos, ut christianos et confederatos, nephias esse desere[re], metuimus tamen Turcas, non animadvententes, quod eciam si illos summo studio observemus, et illis in hac et in aliis rebus gratificari velimus (idque maiori nostro periculo), nos

illos amicos nequaquam habituros et per omnem occasionem hostes experturos.

Sed in diem viventes (si hoc est vivere), omnia pericula non fortitudine, sed virtute ignaviae contemnimus, mulieribus magis inermes, nec de ullo defensionis modo cogitantes. Qui apud nos duplex in usu semper fuit, mercenario scilicet milite, pro quo scribendo nulla prorsus est peccunia, et generali tocius nobilitatis Regni convocatione, quam practici aulici nequaquam facere audent.

Ex Valachia itaque hec sequentur. Restituitur in suum locum Palatinus Turca. Subditi eius, presertim primores, fugient. Quo? Ad nos certe, exceptis paucis, qui ex vicinitate in Hungariam ibunt aut iam iverunt. Mittentur ad nos Nuncii, ut illorum subditos restituamus. Si facimus, perpetuos hostes ex illis habemus, et contra Deum et hominum fidem infidelibus christianos trademus, ut dedecus dedecori addamus. Si non restituimus, apertum bellum habemus, quamquam eciam si restituamus, idem sit nobis sperandum. Sunt igitur et imminent pericula, si unquam fuerunt, tamen nos omnia hec deseruimus sic indiferenter et sine omni cura et ordine, putamusque magis officii nostri et debiti esse cereos nigros sive tedas in meridie accendere atque in omnibus villis templatis per totum iter descendere ac circa nefandissimum cadaver pedibus ire.

Sed de sumptu pauca adhuc in specie dicam. Cera tantum et stamna nigra sive panni 6000 constant in Polonia, excepto quod Vilnae in obsequiis, ut dicunt, expendetur. Item equi conducticiei vectorum 400, pro vel a quolibet equo Vilnam usque, florenos 8. Item currus regii cum 8, sex vel 4 equis, plus quam 60. Item podwodorum currus tot exiguntur, ut singula oppida regia in itinere 100 marcas Polonicas in hoc expendere cogantur. Omnibus enim omnis generis hominibus, quocumque modo ad aulam pertinentibus, ire mandatum est. Mulieres preter solitum cum gynecio non paue proficiscuntur. Suppellex omnis generis eciam, que alias fixa esse videbatur, ducitur. Argenti, preter quod in usu quotidiano esse solet, pondus 30000 marcarum. In summa non aliter appetet, ac si iam in ipsa fuga essemus, ex qua nunquam reverti velimus. Item aliud quoque studium novum nos incessit ornande Barbare, ut omnes ex eius gynecio virgines in matrimonium demus, iamque magnis promissis id persuadere conamur. Nec male procedit. Quinque enim iam lucratii sumus sponsos, qui promiserunt, scilicet Lęczki, dormitorii regii curator, Christopherus Wilkowski, aulicus, Comorowski, incisor reginae mortuae, Hyncza, filius illius stulti potoris et tur, ni fallor, Littwanus. Ceteros adhuc querimus, quibus imponamus promissis.

Porro ingressus Vilnam 23 huius, ibidem mox sepultura. In crastino autem missarum strepitus et tedarum nidor, laudes pro concione etc. Postea, nescio quam brevi, nupciarum tanta frequencia. Sed plurimi metunt, ne et ipse Rex rursus ad similem lapidem offendat. Nec enim a quotidianis incantacionibus cessatur et, quod miserrimum est, ipse contra se tales lamias alit et per aliam viam in Littwaniam premisit. Bos lanium amat.

Ex Italia, Germania etc. nihil habemus novi, nec eciam curamus quidpiam tale scire. Maydeburgum adhuc magna fortitudine resistere audio. Valeat Illustrissima Vestra Celsitudo cum suis omnibus quam foelicissime mihi propicia. Quam ego, ut ante scripsi, inicio fortasse autumni aut ante invisere statuo, quantum in me est. Date in Lublin, 7 Iunii, 1551.

Stanislaus Boianowski.

1) Elias, palatinus Moldaviae.

N. 1300.

Strzyna, 8.VI.1551.

*Ioannes Policki*

*Alberto in Prussia duci*

*pro litteris, a duce sibi pro annuali consolatione missis (annuo stipendio?), gratias agit et rogat, ut dux filio suo ignoscat, quod servitia sua apud ducem recens neglexerit.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1301.

Cracoviae, 24.VI.1551.

*Ioannes Cosmius, concionator regius,*

*Alberto in Prussia duci*

*libellum suum contra episcopos et Ecclesiam Romanam publici iuris facere cupiens, interrogat, an Regiomonti eum imprimere possit.*

*Sigill. Autogr.*

*(Annexum: exemplar litterarum Sigismundi Augusti universis de die 25.III.)*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime Princeps etc.*

Libellum meum gratum et acceptum fuisse Illustrissimae Dominationi Tuae magnopere gaudeo. Sed dum nos eum libellum partim cuditimus, partim amicis impartimus, ecce tibi prodierunt aliae litterae ex Cancelleria Sacrae Regiae Maiestatis, in quibus miro quodam ac stupendo vinculo Archiepiscopus<sup>1)</sup> cum suis Episcopis obstrinxit Sacram Maiestatem Suam ad tutandam Ecclesiam Romanam. Quid enim non obstringerent, quum Maiestatem Suam hoc tempore coronationis ita in potestate habebant, ut etiam ad percussionem digitorum quoscunque vellent Orthiae modos saltaret. Nichil enim non faceremus, modo coronationem conqueremur. At quum hec ex solo Archiepiscopo potissimum pendebat, nichil tam magnum ac arduum peteret, cuius repulsam reportaret. Quumque illi a Sacra Maiestate dabatur Episcopatus Cracoviensis, quod se scilicet tam facilem ad coronandum praebuisset, renuit Episcopatum (id saltem oravit, ut huic Maiestas Regia daret, cui ille vellet, datusque est Episcopatus ad arbitrium Archiepiscopi homini vitae contaminatissimae, moribus spurcissimis, a sacris litteris alienissimo,<sup>2)</sup> qui apertis sermonibus de Christo Domino eadem, o horrendum! dicere solebat, quae de Mahometo). Renuens autem Archiepiscopus Episcopatum Cracoviensem, id sibi pro Episcopatu dari a Maiestate Sua oravit, ut Maiestas scilicet Sua sese litteris propria manu subscriptis sub eodem, quo Regno iuravit, iuramenti sacramento sese obligaret se Romanam Ecclesiam cum omnibus suis assertionibus, consuetudinibus, traditionibus etc. defensurum, in eosque omnes, qui Romano Pontifici contraire vellent, carceribus, exilio etc. animadversurum. Quarum litterarum Illustrissimae Dominationi Vestræ copiam summo animi mei dolore mitto.

Sed quia Deus Omnipotens, pro sua admirabili sapiencia, eos plerunque caecitate ferit, qui se per mundi huius prudenciam videre putant,

in hoc Archiepiscopum cum Episcopis caecavit, quod scilicet quociescunque Romanae Ecclesiae mencionem in hiis litteris faciunt, tocius et Ecclesiae Catholicae et Apostolicae meminerunt, ut non tam piis et evangelicis viris hae litterae Maiestatis Regiae nocere, qui semper Catholicam Ecclesiam Apostolicamque appellant eiusque doctrinam ac disciplinam, nempe cum Evangelio consencentem, anhelant, quam illis ipsis Episcopis, qui aperto Marte in omnibus suis et actionibus et doctrinis Ecclesiam Catholicam ac Apostolicam oppugnant, sint nociturae, si quis eas paulo diligencius ad amussim canonum et verbi Dei dimetiri ac excutere studeret. Eo enim impietatis ac impudiciae per omnium rerum dissolutam licenciam pervenerunt, ut ne umbram quidem Catholicae Ecclesiae apostolicorumque canonum, quos aperta vi violant, retinere videantur. Si igitur Maiestas Sua obstrinxit se in eos animadversurum, qui Catholicae et Apostolicae Ecclesiae non paruerint, certe imprimis suae severitatis fasces ac secures in eos ipsos Episcopos ac Canonicos etc. depromat oportet, qui manifestam vim Catholicae Ecclesiae plus trecentis articulis (ut iam a me observatum et notatum est) inferunt.

Iamque me huic negocio accinxi, ut id Archiepiscopo cum omnibus Episcopis liquido et aperte demonstrem, imprimis Romanam Ecclesiam per omnia contrariam esse Catholicae et Apostolicae. Porro plus huic Ecclesiae debemus, quam Sanctam, Catholicam et Apostolicam in Symbolo confitemur, quam Romanae, cuius nulla est apud Sanctos Doctores publica professio, immo eam multi vocant Babyloniam, ut Sanctus Petrus et Hieronymus, et alii fere omnes.

Deinde ut demonstrem Episcopos omnes obnoxios esse illis ipsis litteris regiis ac exilio, quum apertissimi hostes canonum apostolicorum ac Ecclesiae Catholicae sint. Et quanquam hec omnia in ea oratione mea, quum nuper ad Iulium III Pontificem Romanum scripsi, pertracto, ut, si saperent, contenti esse possent, ne maior impietas eorum in lucem clariorem prodeat, tamen quum ad cor redire hac mea oratione nolunt, experientur deinceps quiddam magis et serium et aculeatum, ut aliquando tandem resipiscant. Sed quia hic Cracoviae cautum severe est sub decem talentis auri puri, ne quid imprimatur, nisi prius Doctorum in Collegio censuram subeat, qui tam acute in verbo Dei vident, quam ille vetustus Saturnus lipientibus oculis etc., vixque furtim obtinui, ut mihi ruri non longe a Cracovia hec Oratio ad Iulium III imprimetur, idque incredibili meo sumptu ac sudore, ut facile Illustrissima Dominatio Tua colligere poterit etc.

Proinde nil magis necessitati, honestati ac laudi Illustrissimae Dominationis Vestre consonum esset, quam Regium Montem abundare (quem admodum optimis viris et doctrinis abundat) quoque et characteribus Graecis ac Latinis Hebraicisque, ut illic excudi possent in promptu ea, que in gloriam Christi ac Ecclesiae aedificationem, diaboli etiam vastitatem, esse possent. Nam in Germaniam haec mittere est partim longissimi itineris, partim insolentis ac rari. Haec autem maturitatem imprimendi efflagitant, ut tempestive homines impietatem Episcoporum ac totius Romanae Ecclesiae agnoscant, priusquam hec eorum tyrannis radices in profundum agat.

Quapropter Illustrissimam Dominationem Tuam, ut christianissimum Principem, oro, faciat me prima occasione certiores, an illic Regiomonti imprimi debeat, id, in quo nunc novo studio excubabo brevique parturiam, ut omnibus in toto Regno constet litteras hasce regias (quarum Illustrissime Dominationi Tue exemplar mitto) non nobis, contra quos illas impetrarunt, sed illis ipsis internicionem ac exilium minari, ut illis

id plane accidat, quod Maxencio a Constantino victo, qui dum pontem ad decipiendum et submergendum hostem deyecit et artificiose disposuit, ipsem postea victus in easdem decipulas cum exercitu incidit, inciditque in foveam, quam fecit etc.

Tandem me gratiae Illustrissimae Dominationis Tuae commendo il- lamque Christo Domino eiusque sacrificio ac Regno, quod sustinet in dextera Patris sui nostrique, devoveo, ut ille suo olocausto perpetuo omnia studia ac conatus pios Illustrissimae Dominationis Tuae in laudem suam suaequae Ecclesiae promoveat ac ampliet etc. Datum Cracoviae, die Ioannis sacro, anno Domini 1551.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Tue  
Ioannes Cosmius, Concionator Suae Maiestatis,  
servitor deditissimus.

1) Nicolaus Dziergowski.

2) Andreas Zebrzydowski.

*Annexum: Exemplum litterarum Sigismundi Augusti universis de die 25.III.  
contra haereticos.*

Exemplar litterarum Regis.

In nomine Domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam humana omnia vana sunt et inutilia prorsus, nisi legibus divinis earumque metu ac observatione in officio retineantur, et religio- nis in primis integritate ac unione obfirmentur, proinde nos, Sigismundus Augustus, Dei gracia Rex etc., manifestum et confessum esse volumus universis et singulis, quorum interest, aut quoquilibet modo interesse poterit, quia cum ex nostris utriusque status Consiliariis intellexissemus varias in Regno nostro passim pullulare haereses novaque in religione dogmata et ritus non solum adferri huc aliunde, verum eciam temera- rios quosdam subditos nostros palam profiteri ea atque instituere, nos vestigiis maiorum nostrorum insistentes, quorum praecipua cura est<sup>2)</sup> et studium semper fuit sacrosanctam fidem christianam propagare et adaugere, ac omnino occasionem excitandi inter subditos nostros dissidii ac omnis in Republica perturbationis (que dissensionis in religione indu- bitatus solet esse comes) amputare, idque proprie ad officium Regum et Principum christianorum pertinere existimantes, nostris hisce litteris testatum facimus et pollicemur nos, pro nostra pietate et erga rem chri- stianam atque ecclesiasticam studio et amore, unitatem in primis doctrinae ecclesiasticae fideique christiana catholicae et apostolicae sinceritatem, quam sancta Romana confitetur Ecclesia et quam maiores nostri iam inde ab initio suscipientes, ad haec usque tempora constanter professi sunt, similiter professuros et integre ac inviolate pro viribus ubique in Regno ac dominiis nostris conservaturos, hostes vero eius, non solum ethnicos, qui a christiano nomine ex professo alienos se esse volunt, sed eciam hereticos, qui sub specie christiani nominis et falsa verbi Dei usurpatione omnem prorsus christianam doctrinam tollunt et avertunt seque alienos esse testantur ab ea fide atque religione, quam inde ab Apostolis tradi- tam in haec usque tempora Romana ac universalis profitetur Ecclesia, propugnaturos, de Regno nostro propulsaturos, in Concilium ac Senatum nostrum regum eos, qui aliqua haeresi essent infecti (quod quidem nos sciamus), nunquam ascituros, dignitates ulla aut praefecturas eis com- missuros. Immo, si qui ad nos delati fuerint, effecturos, Deo Optimo

Maximo auspice, ut statuta Regni nostri contra eos extendantur et summa diligencia exequantur, quo semper inglorii, infames, extores et exules a patria permaneant, nisi ad gremium sanctae matris Ecclesiae redire eique se reconciliare studuerint.

Ecclesiasticas autem personas earumque iura, immunitates ac privilegia, privata ac publica, defensuros, conservaturos et, quoad fieri poterit, propagaturos, officialibus eciam ac praefectis nostris quibuslibet, ne remissi aut negligentes essent in eis exequendis ac manutenendis, cum grandi et seria indignationis nostrae comminatione mandaturos. Alioqui, si qui ad nos delati fuerint, qui cum officio suo, tum vero mandatis nostris satisfacere nollent, nos id impune non feremus. Quae quidem superscripta omnia Reverendissimo in Christo Patri Domino Nicolao, Archiepiscopo Gneznensi, Legato Nato Regnique Primati, et aliis Episcopis suis ceterisque Consiliariis nostris, nos pro officio suo admonentibus, facturos esse nos verbo nostro regio polliciti sumus et firmiter sub sacramento fidei nostrae, subditis nostris per nos in inauguratione nostra praestito, observare volumus. In cuius rei fidem etc. praesentibus ibidem etc. Datum Cracoviae, feria sexta post festum Conceptionis B.V.M., anno Domini 1550, Regni vero nostri XXI.

z) sic in ms.

N. 1302.

Vilnae, 26.VI.1551.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
per legatum ducis copiosiores litteras se daturum nuntiat; refert rumores  
de exercitu Moscovitico incertos esse, quamquam in Lithuania bellum  
generale iam edictum sit.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.381.*

Illustrissime Princeps.

Ne ullam occasionem mittendi litteras ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem pretermittam, scribo, non quod aliquid scriptu dignum habeam, sed ut officio me satisfacere (ut fieri potest) videar.

Scripsi enim Illustrissimae Vestrae Celsitudini ante 20 dies in Lublin ea, que tum aliquid refferre visa sunt. Nunc si quid est, Legatus Vestre Celsitudinis referet, brevi hinc abiturus. An autem cum decoro tractatus sit, hoc quoque illius relacioni relinquo, per quem eciam copiosiores litteras dabo, consulcius existimans expectandum esse parumper, donec rumores isti de exercitu Moszkovitarum contra nos coacto cerciores fiant. Puto enim colorem esse contribucionis exigende, etsi iam video bis publice edictum bellum generale Lytwanicum, ut omnes ad illud obligati in decem septimanis conveniant. Sed si fama illa vera est, res erit magni momenti, magnum negocium nobis allatura cum magno periculo coniunctum... Vilne, 26 Junii, 1551.

Stanislaus Boianowski.

Vilnae, 4.VII.1551.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci*

*de rege post mortem Barbarae luctum paulatim remittente; de ducis  
Moscoviae [Ioannis IV Basiliidis] magis bellicis quam pacificis cona-  
tibus; de regis in Poloniā incerto reditu; de Comitiis Toruniae fu-  
turis; de turbis in Transilvania nondum sedatis; de regis Romano-  
rum [Ferdinandi I] versus Transilvaniam conatibus; de imperatoris  
[Caroli V] Monachium projectione.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.381.*

**Illustrissime Princeps.**

In rebus Littwanicis heri conclusum est, ut Comicia Vilne ad 18 Octobris indicantur, que generalia iudicia precedent a festo Michaelis.<sup>a)</sup>

Regia Maiestas luctum paulatim remittit. Cras quinque aut 4 nupcias simul celebrare constituit. Ipsa tamen, ut audio, non vult adesse, in proximum rus interim itura. Omnes quidem virgines sive pedisequas Regine Barbare volebant despansare, sed video tres adhuc aut quattuor vaccare. Sunt, qui dicunt mansuram esse hic unam ex illis innuptis, nescio in quem usum. Inter quas est filia olim Ieronimi Laski, prioris Palatini Siradiensis, forma mediocri. Ceterum totum gynecium intra 6 dies in Poloniā remittitur, nisi forte gnanas, quorum<sup>z)</sup> numerum ignoro, hic quoque relinquant. Quod quidem si futurum est, etsi remotum, signum tamen esset renovandi matrimonii.

Porro rumor ille de exercitu Moszkorum, de quo ante paucos dies scripsi, deferbut, ita quod hoc anno vel hac estate nihil hostile exinde speremus. Bellum tamen magis quam pax<sup>z)</sup> a Duce Moszkorum sperare licet, si verum est, quod de illo dicitur. Homo enim iuvenis et fervens, animo inquietissimo, penitere se dicit, quod foedera inierit, ob hoc quidem de Rege nostro pessime contentus, quod illum Caesarem non vult nominare aut scribere, idque tocius Russiae. Sed interim alias iniurias in finibus presefert, vel pocius fingit, ut habeat qualemcunque rumpendi foederis occasionem. Existimat autem deesse sibi ad talem titulum oppidum sive arcem Chium sive Kyow, insigne quandam Ruthenorum cum Grecis emporium, in quo hactenus evidentissima signa maximarum diviciarum apparent. Et esset alioqui regio foelicissima, fertilissimo et ameniissimo fundo et aliis omnibus rebus, ad humanam foelicitatem necessariis, Italie aut simili loco equiparanda, nisi per Tartaros et id genus hostes fuisset desertata, iamque prorsus deserta, postquam Greci servire ceperunt.

Ex Polonia nihil est novi preter illud, quod Celsitudini Vestre 7, ni fallor, Iunii ex Lublin scripsi. De reditu Regie Maiestatis in Poloniā certi quidem nihil est, quamquam Sua Maiestas quam cittissime se rediturum Senatoribus Polonicis promiserit. Ego tamen ex quibusdam signis coniicio ante Ianuarium Regiam Maiestatem Poloniā non visuram. Item ex quibusdam secretis signis existimo Convencionem generalem Regni Toruniae circiter Ianuarii primos aut medios dies futuram.

Ex Hungaria nihil auditur boni. Turbe enim ille Transilvanienses nondum sedate sunt. Rex Romanorum illuc nuper miserat Sigismundum ab Herberstein, qui nunc redit rebus infectis. Violenta igitur iam rursus consilia sequitur de Transilvania occupanda. Mittit illuc Ioannem Ga-

staldo,<sup>1)</sup> Italum, in bello Germanico tormentorum bellicorum Caesaris Prefectum, cum particulari quodam exercitu, qui fortasse denuo Turcas provocabit.

Item ex Germania scribitur Cesarem ex Augusta Monachium, urbem Bavarie, profectum esse ibique fortunam Andree de Aurea expectare, qui cum classe Caesaris profectus est contra Turcas aut Mauros...

Vilne, 4 Iulii, 1551.

Stanislaus Boianowski.

a) *in ms.* Michalis.

z) *sic in ms.*

1) *Castaldo.*

N. 1304.

Niedrzwica, 18.VII.1551.

Iacobus Osmolski de Osmolice

Alberto in Prussia duci

curaturum se diligenter nuntiat, ut duos equos castratos et tertium gradarium, a duce postulatos, emere possit; boves tamen, ob inopiam temporis, se nunc procurare non posse significat.

(Polonice. Adest versio germanica)

Sigill.

H B A, B 2, K.381.

N. 1305.

Vilnae, 28.VII.1551.

Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,

Alberto in Prussia duci

de proposito suo cum duce conveniendi; de ordinis equestris in Polonia contra «sacrificos» commotione; de rebus Lithuaniae et de novis aulicis; scribit praeterea aliqua nova ex externis regionibus: de Venetis, de papa et imperatore, de Octavio Farnesio, de rege Galliae, de rege Ferdinando etc.

Sigill. Autogr.

H B A, B 2, K.381.

... Illustrissime Princeps.

Cum nuper hic esset Legatus Vestrae Illustrissimae Celsitudinis, Magister Lucas David, erat apud nos rumor Illustrissimam Celsitudinem Vestram ad Regiam Maiestatem esse venturam. De quo ego cum illo breviter, sed libere contuli, ut illa<sup>2)</sup> Vestrae Celsitudini referret. Nunc, postquam iter Regie Maiestatis ad diem 16 Augusti in venacionem Vigriensem, prope fines Prussiae, oppidumque Vestrae Celsitudinis, Lykk, indictum est, nescio quis iterum sparsit famam Illustrissimam Vestram Celsitudinem in locum predice venacionis ad Suam Maiestatem venire velle. Qui quidem rumor etsi mihi vanus esse videatur, scribere tamen mihi visum est meam brevem sentenciam in hac re, id est: me non dubitare multas

et graves causas esse, ut Illustrissima Vestra Celsitudo Maiestatem Regiam presens alloquatur. Tamen cum rerum nostrarum modernum statum et regii ingenii habitum illorumque, qui nunc in aula sunt, affectus respicio, existimo maiores esse raciones, ut abstineat permittatque nos adhuc nostra hac via parumper currere, cum sit admodum difficile, immo impossibile, ut nostro ingenio cedere nobis quisquam persuadeat, eciamsi fortissimas raciones et argumenta adferat. Neque quisquam quidquam tale tentare potest sine offensa durabili, eciamsi id lenissime faciat.

Hec ego Illustrissimae Vestrae Celsitudini scribo, non ut disuadeam, si quid tale proposuisset, quam video omnia caute, prudenter et maturo iudicio statuere, sed ut nostrarum rerum veteri meo more admonerem. De quibus cupiens cum Vestra Illustrissima Celsitudine presens colloqui, constitueram<sup>a)</sup> ad hodiernam diem hinc egredi atque in Ragneta, ubi istis diebus venturam dicebant, Vestram Celsitudinem querere. Sed per cunctacionem regiam in dando responso non licuit, nec eciam certo scire potui, an ibi Vestram Celsitudinem invenirem. Tempori itaque serviens, constitui omnino Illustrissimam Vestram Celsitudinem circiter festum Bartolomei proximum invisere, si modo Illustrissima Vestra Celsitudo significaverit, vel alia ratione scire potero, ubinam vel in qua dominii sui parte sub id tempus versari constituit. Non dubito enim Vestram quoque Celsitudinem (more suo veteri) inicium autumni vocationibus daturam reficiendi animi causa. Quare si adventus meus Vestrae Celsitudini non est incommodus futurus, rogo, ut locum, ad quem venire debeam, sciam. Non essem autem tam insolens, ut id exigerem, sed video nullum aliud tempus huic rei tam commodum futurum, in quo et voluntati Vestrae Celsitudinis, de qua mihi aliquocies scribere dignata est, et meo desyderio satisfacere existimarem. Scire autem, quod rogo, ne cessesse esset ante 16 Augusti.

Porro de statu Regni Polonie eadem est rerum condicio, vel pocius perturbacio, quam per Magistrum Lucam David descripsi, nisi hoc accessit, quod ordo equestris contra sacrificios, nunc solito magis insolecentes, commotus est in toto quidem Regno. Nam in Russia acerrime agunt contra Stanislaum Orzechowski, qui sacerdos doctus uxorem duxit. In Cracoviensi diocesi contra Nicolaum Oleszniczki de Pynczow. In Maiori Polonia nuperime Archiepiscopus<sup>1)</sup> criminaliter cittavit Iacobum Ostrog, ex prima illius regionis familia, quod (inter cetera) missam Polonicam instituerit. Qui ad diem in cattacione prescriptam cum 400 equitibus venit. Tandem ad tribunal Sue Paternitatis non admissus, a termino absolutus est, non sine gravissimis conviciis nobilium in sacerdotes et minis.

De rebus Lytwanicis non video, quod sit scribendum. De hominibus enim nobis res est. Dux Radywil, Palatinus Wilensis et Cancellarius,<sup>2)</sup> cum Palatino Trocensi,<sup>3)</sup> germano Reginae Barbarae, qui nunc ex febre laborat, omnia negocia regunt. Hoc tamen mali accessisse heri accepi, quod Dux Moszkoviae,<sup>4)</sup> novum et magni momenti regimen in re bellica instituens, Legato nostro signa inimica in vultu preseferebat manumque illi noluit porrigere, nec illum audire, sed tantum litteris pro litteris datis in sua presencia, insalutatum dimisit. Regia Maiestas sequenti hebdomada tormenta sua bellica vult experiri, presertim ea, que saxeos globos habent ad ligneas arces oppugnandas. Iussitque facere parietem ligneum eo modo, ut sunt arces Moszkovitarum etc.

In rebus aulicis sunt quedam nova, sed parvi momenti, quibus Vestram Celsitudinem occupare nolo. Vicecancellarius<sup>5)</sup> est Domine factum, et plus sepe, quam sit commissum. Heri habuit solennem concio-

nem. Convocatis omnibus aulicis, expostulavit nomine Regiae Maiestatis, quod sint officii sui<sup>b)</sup> negligentes etc. Tandem dixit: Parata est Sua Maiestas preteritas culpas vobis ignoscere, sed cavete de futuris, et presertim, ut nunc omnes omnino in hanc Vigrensem venacionem eatis. Vadit enim Sua Maiestas nunc sub alienos fines alienumque parietem. Hoc certe poterat tacere, nec credo commissum illi esse, sed ita est Duc Prussia affectus cum sacrificis suis, ut eciam dissimulare non possit, quamquam alioquin callidissimus est et cautus.

De rebus externis heri, partim ex regiis litteris, partim ex meis (quas ex Veneciis habui), partim ex Italorum aule nostre, miras et magnas turbas accepi. Scribitur miles in tota Italia frequentissimus. Papa<sup>6)</sup> cum Caesare coniunctus. Faccio in Italia Gallica iam palam se detegit, circa Parmam et Agros Mirandulanos sese colligens. Cessit enim dominio Parmae Octavius Farnesius, nepos Pauli III, qui habet notam Caesaris, Galliae Regi.<sup>7)</sup> Hunc Octavium Papa bannivit sive proscriptis et quedam alia non amica signa contra Galliae Regem struit. Rex Galliae Cardinalem de Turno,<sup>8)</sup> et alium eciam magne autoritatis, Cardinalem Ferrarensim,<sup>9)</sup> ad Papam misit dicens, nisi sibi temperaverit ab incepto, se velle in Regno suo Patriarcham erigere, qui papali autoritate fungatur. Nec quidquam amplius nacionem Gallicam e Roma petituram esse.

Habui eciam ex Parisiis a meo quondam preceptore litteras, quibus nihil (preter familiare argumentum) scribit novi, quam quod Rex Galliae, quamvis occulte, magnum bellum parat, in Aquitania unum et in Celtica alterum exercitum scribens. Sed scribit se nescire, contra quem. Et sunt 2 menses cum medio, cum hec scriberet.

Veneti eciam scribunt militem et frumentum coemunt, externos homines ex suo dominio discedere iusserunt propter victimum. Ducas Ferrarensis<sup>10)</sup> quondam arcem<sup>11)</sup> Cesariani acceperunt, quod eum Gallicarum pacium esse credant. Item Regem Galliae scribunt contractum fecisse cum Rege Angliae,<sup>12)</sup> qui nunc fortasse 14 annos habet, ut filiam eius ducat, que 9 fortasse annos nunc habet.<sup>13)</sup> Scribunt preterea Regem Galliae 20000 peditum a Rege Sveciae<sup>14)</sup> promissa expectare. Item ex Posnania scribitur mihi obsidionem Maydeburgensem solutam esse. Caesar in Flandriam iturus erat, sed hiis motibus Italiciis<sup>c)</sup> constitit atque Monachii<sup>d)</sup> quiescens deliberat. Andreas de Auria pene fuit occisus (postquam cum classe Genuam rediisset) a coniuratoribus quibusdam ex primariis Genuensium familiis, qui aufugerunt.

Ex Hungaria certe confirmatur Regem Ferdinandum tota Transilvania potitum et omnibus, que Regina Isabella vel Monachus<sup>15)</sup> administrabat. Nunc tractare, quidnam sit datus Isabelle in Slesia, prope fines Polonie. Non dubito diciones Domini Marchionis Georgii Friderici in medium eciam prolatas et de illis disputari. Hec omnia brevi tempus aperiet clarius... Vilne, 28 Iulii, 1551.

Stanislaus Boianowski.

a) in ms. constituram.

7) Henricus II.

b) in ms. suis.

8) Franciscus de Tournon.

c) in ms. Italiciis.

9) Hippolytus Estensis.

d) in ms. Monachi.

10) Hercules II.

z) sic in ms.

11) Brixellum (Brescello).

1) Nicolaus Dziergowski.

12) Eduardus VI.

2) Nicolaus Radziwiłł « Niger ».

13) error: filia regis Galliae natu maior, Elisabeth, nata est anno 1545.

3) Nicolaus Radziwiłł « Rufus ».

14) Gustavus I.

4) Ioannes IV Basilides.

15) Georgius Utišenović, alias Martinuzzi.

5) Ioannes Ocieski.

6) Iulius III.

*N. 1306.*

*Posnaniae, 28.VII.1551.*

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
causam palatini Lanciciensis [Nicolai Jarand Brudzewski] commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

*N. 1307.*

*Vilnae, 1.VIII.1551.*

*Ioannes Ocieski, R.P. vicecancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
negotia ducis apud regem se pro viribus diligenter curasse nuntiat; de  
moris se excusat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime ac Excellentissime Princeps, etc.*

Ea, que ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram pertinebant, qua potui cura ac studio conficienda curavi, confecta en Illustrissimae Celsitudini Vestrae mitto. Utinam autem michi liceret res negotiaque illius ea celeritate curare, qua fide ac studio ea tractanda aggredior, non paterer ullum officii genus in me desiderari. Verum quoniam Illustrissima Celsitudo Vestra aliorum opera apud Maiestatem Regiam uti solet, ac cum diu multumque illi in expediendis negotiis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae versantur, venitur tandem sero ad me. Proinde que sero mihi committuntur, sero expediam necesse est. Non quod illi non summam fidem, diligenciam ac industriam ad tractanda negotia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae afferant, sed quod duplex mora fieri solet, et dum illi promovent et dum ego, quod reliquum est, absolvio. Nec sane invideo cuiquam hanc demerenda gratias Illustrissimae Celsitudinis Vestrae occasionem, nec mihi prae illis maiorem autoritatem arrogo. Verum id vereor, ne quod immutatae erga me gracie Illustrissimae Celsitudinis Vestrae signum hoc sit, cum tamen ego studio, fide et observancia erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram a nemine me ita facile vinci patuerer. Commando itaque, quicquid a mea tenuitate praestari possit ad promerendam graciam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae... Datum Vilnae, 1 Augusti, anno Domini MDLI.

a) *Vestre Illustrissime Celsitudinis servitor deditissimus*  
*Ioannes Oczeski Vicecancellarius subscrisit.<sup>b)</sup>*

a)-b) *manu propria.*

Vilnae, 17.VIII.1551.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
clam se ad ducem venire non audere, palam autem non posse signifi-  
cat, nunc in Russiam ire, deinde Cracoviam, post Posnaniam ad  
conventum particularem Maioris Poloniae; scribit aliqua nova ex  
Hungaria et Italia.  
Sigill. Autoogr.  
H B A, B 2, K.381.*

Illustrissime Princeps.

Propter suspiciones, quibus nunc (preter veterum Polonorum mores) apud nos laboratur, ad Vestram Celsitudinem ire clam quidem non audeo, palam vero non possum, non habita venia, quam in hanc partem obtinere non potui. Obtinui autem mox in aliquod menses libertatem abeundi, postquam me in Russiam iturum dixi. Ex qua Cracoviam, deinde Posnaniam ibo ibique tempus particularis convencionis Maioris Poloniae in Srzoda expectabo, ex consilio vel pocius ex mandato Domini Vicecancellarii,<sup>1)</sup> qui mihi litteras fidei Regie Maiestatis et instructionem ad illum conventum missurum se dicit. Iam vero sunt littere ad omnes Regni Consiliarios misse, ut eorum sentencias scribant de generali Convacione, quam Sua Maiestas sub finem huius anni subditis suis universaliter celebrare promisit. Itaque circiter festum Nativitatis Domini futuram existimamus.

Regiae Maiestati 4 miliaria abhinc heri valedixi, in venacionem Vi-  
grensem eunti. Nova nulla habentur, nisi quod iam micius de Valachis  
scribitur. Hunc novum Palatinum<sup>2)</sup> amiciciam nostram cupere videat, qui  
credit. Interim vero duodecim proceres ex illa regione apud nos sunt,  
nec redire audent ad certum suplicium, propterea quod alium Palatinum  
sibi dari a Regia Maiestate petebant istumque, quem Turca dedit, non  
agnoscebant.

Ex Ungaria scribit Tarcii<sup>3)</sup> (qui tamen sepe vana solet scribere) Tur-  
icum exercitum ad 50000 versus Transilvaniam ire. Quos Petrowicz ille,  
qui tam diu pro tutore filii<sup>4)</sup> regis Ioannis cum Regina Ungarie<sup>5)</sup> fuit,  
inita cum Monacho<sup>6)</sup> hostilitate, provocat et adducit. Rex Ferdinandus  
in Transilvania habet circiter 8000 militum, ad quos confirmandos bellum  
generale in omnibus Ungarie suis partibus indixit, protestando se nihil  
contra Turcas facere, cum quibus habet federa, sed Monachum contra  
Petrowicz iuvare. Turci quoque itidem dicunt inversis partibus.

In Italia eciam simile quidpiam versatur. Cesar dicit contra Regem  
Galliae<sup>7)</sup> nihil facere, se tantum Papam<sup>8)</sup> contra Octavium iuvare, Rex  
vero Galliae similiter Octavium contra Papam, a quo eum cum toto Regno  
defecisse constanter confirmatur, ut ante scripsi, sed vereor, ne Papa  
suo more astute agat, si in fervore belli Caesarem (cuius potentiam  
suspectam habet) deserat atque tradat, vel si nihil aliud commodi ex  
hoc bello per se moto speret, saltem ut Generale Concilium distrahat...  
Vilne, 17 Augusti, 1551.

Stanislaus Boianowski.

1) *Ioannes Ocieski.*

5) *Isabella.*

2) *Ioannes (« Iwonia »).*

6) *Georgius Utišenovič, alias Martinuzzi.*

3) *Tarczay?*

7) *Henricus II.*

4) *Ioannes Sigismundus.*

8) *Iulius III.*

N. 1309.

Brudzewo, 18.VIII.1551.

*Nicolaus Jarand Brudzewski, palatinus Lanciciensis,  
Alberto in Prussia duci  
in causa cum Alberto Finck, iudice terrestri Hohensteinensi, ad ducem  
appellat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1310.

Srzeński, 23.VIII.1551.

*Felix Srzeński, palatinus Plocensis,  
Alberto in Prussia duci  
regina Bona in Plock et in bona sua Srzeński veniente, ducem rogat, ut  
sibi in hac necessitate sua aliquot ferinas ex capitaneatu Neidenbur-  
gensii mittat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1311.

Brzezany, 24.VIII.1551.

*Nicolaus Sieniawski, palatinus Belsensis,  
Alberto in Prussia duci  
in rebus Moldaviae (in ms. Valachiae) intercessionem ducis apud regem  
implorat, ut in locum Stephani [Rareš], fratri Eliae [Rareš] palatini,  
fidem Mahometricam amplexi, filius Stephani substituatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

Illustrissime Princeps etc.

Quod tam diu ad Tuam Celsitudinem, Clementissime Princeps, non  
scripsi, id non mea negligencia accidisse Tua Celsitudo reputet, sed  
partim meis occupationibus, quas Reipublice causa sustineo, partim vero  
quod Zyczynsky, Tue Celsitudinis minister, me inscio discedebat ex Rus-  
sia. Nunc autem Tue Celsitudini ea scribo, que sine magno dolore scribi  
et dici non possunt, quia videntur minari ruinam Reipublice Christiane.  
Elias,<sup>1)</sup> olim Pallatinus Valachie, suasu Turcici Tiranni allactus est ad  
imprietatem Machometricam, abnegata fide christiana circumcisionem su-  
cepit. Cui Turcicus Tirannus multas arces dedit et civitates, in primis  
Kiliam, deinde Albam seu Byalohrod, item Theinia, item Oczakow, que  
sita est supra mare inter duo flumina, nempe Nest et Boristenem. Deinde  
ultra Danubium Silistra, deinde Baba, item Obluczycza, item Thulcza,  
circiter quindecim arces et oppida. Postquam ista occupavit prefatus  
Elias, collata a Cesare Turcico, deinde quoque in Valachia multa occu-  
pavit, ut civitatem Czuburcza, item Galacz, civitatem supra Danubium  
sitam, item civitatem Ren, quoque supra Danubium, item Lopusno civi-  
tatem, item Kisgretz, non parum abundantem piscibus et pecoribus. Ea

omnia a Valachia abstulit. Interea temporis frater eius minor natu, Stefanus, subrogatus est a quibusdam in locum fratris. Eos autem, qui sibi contrarii fuerunt, interfecit et indies maximam tirannidem exercet, quoscumque suspectos habet, gladio ferit, nam non ignorat superstitem esse filium Pallatini olim Valachie Stefani, qui vocatur Ivan. Hunc itaque tota Valachia Pallatinum esse cupit et precipui Domini ei adherent, qui olim erant apud Pallatinum Eliam in officiis, ad prefatum Ivan convererunt, expectantes Regie Maiestatis gratiam, et se paratos offerunt ad defendendam patriam contra Tirannum Turcicum, si tantum eos Regia Maiestas benigne et clementer in suam protectionem susciperet.

Quare, Illustrissime Princeps, dignetur Tua Celsitudo patrocinium Valachie suspicere ad Regiam Magestatem, ut sine dilacione subveniat alicte Valachie, porigentes<sup>2)</sup> ei ultro manus et spem totam post Deum Optimum Maximum in Sacre Regie Magestatis clemencia et protectione collocant.<sup>2)</sup> Nam si Regia Magestas differet subvenire alictis, Turcicus Tirannus interea occupabit omnem Valachiam arcesque et loca munita ac presidia firma collocabit, et sic tota illa bellicosa gens Valachica cogetur arma fere<sup>2)</sup> contra christianos, cum tamen hactenus pro christianis fortissime pugnavit et maximas sepe clades Turcis intulit et omnibus Sacre Regie Magestatis dominis veluti invictum propugnaculum fuit. Si itaque Regia Magestas tempestive in suam tutelam susceperit prefatum Ivan, quem tota Valachia Pallatinum optat, et eum introduxerit in provinciam, faciet in primis rem Deo Optimo Maximo gratam, deinde et toti Regno maximopere utilem. Nam multa milia christianorum, qui nunc anima et corpore periclitantur, liberabuntur ab oppressione Turcica et impietate Machometica, ad quam facile est obficere in tantis calamitatibus. Quanta vero sit utilitas sequitura toti Christianitati, hinc Tua Celsitudo intelliget, quod Valachia contra hostem potest habere quinquaginta milia equitum et paulo minus milia peditorum. Si itaque tantum commodum dilatione et procrastinatione amittetur, quod Deus omen avertat!, tot sumus cito habituri hostes, quot pro nobis, si servati fuerint, pugnaturi cum hostibus erant.

Huc accedit, si Regia Magestas, quod speramus et optamus et sperramus,<sup>2)</sup> mature opem tulerit et constituerit Pallatinum optanti Valachie et colla ultro subcienti. Quod et Multhania, que est huic vicina regio, provincia magna et potens, que ingemiscit sub tyrannide Turcica, illa quoque mallet subesse christiano Principi, christiana existens, quam Turcico Tiranno, quem detestatur et a quo contra christianos bellum gerere invita compellitur. Nihil dubito, Illustrissime Princeps, de Tue Celsitudinis sapienti salutarique consilio, quod in rebus tantis, ad Reipublice tutamen et defensionem spectantibus, suppeditare Regie Magestati potes, ut ille Princeps, qui non tantum ea, que gerantur, optime perspicis, sed eciam ventura et bona et mala ex circumstantiis sapientum consideras. Et olim Deus Optimus Maximus salutare tuum consilium et plium de Reipublice conservacione conatum ac laborem cumulate pensabit, ac tot milia christianorum, partim iam tirannide oppressa, partim eciam opprimenda, Deo gracias agent et nomen eius celebrabunt pro liberacione et restitucione... Datum in Brzezany, die et festo Sancti Bartholomei Apostoli, anno Domini 1551.

Vestre Illustritatis servitor deditissimus  
Nicolaus a Szyenawa, Pallatinus Belzensis,  
Haliczyensis Colomyensisque Capitanus etc.

2) sic in ms.

1) Elias (Ilias), palatinus Moldaviae, filius Petri Rareš.

N. 1312.

Iaroslaviae, 30.VIII.1551.

*Anna e ducibus Masoviae Odrowążowa, palatina terrarum Russiae,  
Alberto in Prussia duci  
ob dilationem persolvendi debiti se excusat nuntiatque id debitum in  
manus Bernardi Pretwicz, capitanei Barensis, se tandem persolutu-  
ram esse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1313.

Posnaniae, 8.IX.1551.

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
excusat se, quod ob occupationes et praesertim ob febrem quartanam  
per longius tempus duci non scripserit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1314.

Kryłów, 11.IX.1551.

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,  
Alberto in Prussia duci  
in persona se ducem invisere cupivisse nuntiat, rumore tamen de Vala-  
chis in confinibus Podoliae allato, a proposito suo abstinuisse; equum  
gradarium, ad venationes aptum, mittit; rogare se ducem voluisse  
fatetur, ut aliquem ex suis mitteret, qui filium suum nasciturum e  
fonte baptismali levaret, ob distantiam tamen locorum ab eo quoque  
proposito abstinere se debuisse significat.  
(Polonice. Adest summarium latinum)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1315.

Kryłów, 12.IX.1551.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de Tartarorum incursione; de bello in Italia, Gallia et Belgio; de Turca,  
Regnum Hungariae filio regis Ioannis et reginae Isabellae volente.  
Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime Princeps.*

*Etsi non sint novae in hasce regiones Tartarorum et id genus hostium  
incursions, magis tamen presens impressio (1 huius mensis cepta) homi-*

nes perturbat, quam ulla alia nostri temporis. Animi enim nobilium et patriciorum Regni, qui adversus eiusmodi hostes sponteas voluntariasque ac celeres expediciones ac profectiones suscipere solebant, nunc non sunt alacres, moribus aulicis offensi, ubi dicunt premia sycophantis distribui, que bene de re publica et militari meritis debebantur. Itaque nemo sese nunc proripit, nemo currit more solito, regia longissime abest, idque apud Lytwanos, cum quibus non facile poterit resistere, sine Polonis, tantis hostium copiis et selecto ex Turcis et Tartaris exercitui, qui in Lyttwanico dominio sevit. Nec scire quispiam potest, an Podoliam quoque attingere conabuntur. Mala itaque spes adhuc est de propulsando hoste, nisi Deus ipse servaverit nos. Apparere iam incipit, quomodo nos erga subditos et vicinos hiis temporibus gessimus, cum et presenti malo privatis et occultis nostris consiliis et practicis occasionem nos dedisse non est dubium. In summa, illa mala iam apropinquant, de quibus omnes hoc triennio prophetizabant, quamquam sine nomine. Omnes dico preter paucos quosdam, qui impudenter blandientes ausi sunt dicere: Nunquam res Polone melius habebant quam nunc. Ad quod verissime respondetur res sycophantarum nunquam in Polonia melius habuisse.

Accidit autem hec pestis Mahometica tum, cum Regia Maiestas cum Regni Senatoribus de Comiciis per litteras ageret. Nunc quid sequetur, tempus aperiet, et ego per omnem occasionem Illustrissime Vestre Celsitudini significabo. Hinc Craccoviam proprio, credens satis adhuc temporis superesse, ut me quoque parem et redeam cum aliis ad hoc incendium extingendum, si iustus aliquis exercitus colligatur, de quo ego dubito, et presertim tam subito, in perturbata alioqui Republica.

Ab extra confirmatur fama magni belli in Italia, Gallia et Belgica. De Maydeburga falsum rumorem habuimus, que adhuc ante paucos dies obsidebatur. Scribitur autem summis conatibus apud Cesarem agi ab omnibus suis, ut eos recipiat in graciam quibuscumque modis, ob maioris belli suspcionem, cum nulla sit spes, ut intra annum adhuc unum expugnetur.

Item ex Turcia allatae sunt litterae Regiae Maiestati a Cesare, quibus illi persuadet quam diligentissime, ut sororem Isabellam et filium<sup>1)</sup> iuvet contra Regem Ferdinandum et Monachum<sup>2)</sup> (quos proditores vocat), interea dum eius exercitus Transilvanie in auxilium venit, quem iam paratum maxima potencia habet. Non posse Regem honeste sororem et nepotem deserere, cui Ferdinandus cum Monacho Regnum Hungarie eripere volunt et Maximiliano dare, quod ille iam pridem filio Regis Ioannis dedit. Iamque illum diu coronasset, si per etatem Regnum et tanta dominia administrare potuisset. Sed tamen ipse verus Rex est Hungarie et omnino in Regem coronabitur Regnique pacifica possessio tradetur, ubi adoleverit. Quod<sup>a)</sup> si, inquit, Rex, non credit meis verbis, teneris nihilominus sororem defendere etc. Copiose admodum et diligenter agit, ut Rex res suas in Hungaria promoveat. Habet fortasse nunc aliud, quod agat. Regia Maiestas cum eiusmodi litteris ad Senatores Regni misit, ut consultant de responso. Inter ea autem exercitus nos oscitantes invasit. Dominus Deus nos custodiat. Amen.

Valeat Illustrissima Vestra Celsitudo quam foelicissime. Ex Krylow in Russia, arce Domini Ostrorog, raptim 12 Septembbris, 1551.

Stanislaus Boianowski.

a) in ms. quos.

1) Ioannes Sigismundus.

2) Georgius Utišenović, alias Martinuzzi.

N. 1316.

Glinki, 22.IX.1551.

Alexander Iłowski, castellanus Zakroczymensis,  
Alberto in Prussia duci  
pro Stanislawo Szczucki intercedit, ut ei dux pro meritis eius usumfructum  
lacus cuiusdam concedere velit.  
(Polonice)  
Sigill.  
H B A, B 2, K.381.

N. 1317.

Izbica (Izdbica), 2.X.1551.

Silvester Kretkowski, castellanus Bydgostiensis,  
Alberto in Prussia duci  
faltones sibi mitti petit; nuntiat palatinum Culmensem, Stanislaum  
Kostka, venatorem, in arte venandi volucres peritum, duci esse  
missurum.  
(Polonice)  
Vest. sigilli.  
H B A, B 2, K.381.

N. 1318.

Vilnae, 7.X.1551.

Ioannes Ocieski, R.P. vicecancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
in negotio Georgii Ritter cum Toruniensibus rerum ablatarum clarigatio-  
nem eidem Ritter a rege permissam esse significat.  
Sigill.  
H B A, B 2, K.381.

N. 1319.

Visnae, 25.X.1551.

Stanislaus Ławski et Alexander Iłowski, Visnensis et Zakroczymensis  
castellani, ac Ioannes Podoski, iudex Ciechanoviensis,  
Alberto in Prussia duci  
negotium nobilis Iacobi «Z Czarnych Jakubów», sibi a duce commen-  
datum, se apud regem diligenter promovisse nuntiant.  
(Polonice. Adest versio latina)  
2 sigilla et vest. tertii.  
H B A, B 2, K.381.

N. 1320.

Visnae, 25.X.1551.

*Ioannes Dziergowski, palatinus Masoviae,  
Alberto in Prussia duci  
de causa inter subditum ducis, Michaelem Biały, et Georgium Wojsław,  
Masovitam.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1321.

Vilnae, 27.X.1551.

*Ioannes Ocieski, R.P. vicecancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
mittit exempla litterarum Romanorum regis [Ferdinandi I], ad negotium  
Pruthenicum pertinentium; refert sententiam regis de castellano Posna-  
niensi [Andrea a Górką], quomodo in gratiam regis redire possit.*

*Sigill.*

*(Annexa, de quibus in epistola, desunt)*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1322.

Vilnae, 7.XI.1551.

*Ioannes Ocieski, R.P. vicecancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
negotium ducis a rege ad Comitia reiectum esse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1323.

Vilnae, 9.XI.1551.

*Albertus Kryski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
mittit exempla legationis suae in negotio Pruthenico ad regem Romano-  
rum peractae, necnon responsi eiusdem regis Romanorum [Ferdi-  
nandi I] ad legationem suam dati.  
(Annexa desunt)*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime Princeps etc.*

*Magnificus Dominus Regni Procancellarius,<sup>1)</sup> cum Illustrissimam  
Dominationem Vestram mandata Serenissimi Regis nostri, mihi ad Se-*

renissimum Romanorum Regem in negocio Pruthenico data, una cum Serenissimi Romanorum Regis responso habere velle cognovisset, mihi iniunxit, ut ea omnia quam primum ad Illustrissimam Dominationem Vestram perferenda curarem. Ego itaque, quo et Illustrissime Dominationi Vestre hac in re mos geratur et mandato Magnifici Domini Pro cancellarii satisfiat, ea omnia iisdem verbis descripta, quibus et apud Serenissimum Romanorum Regem dictata et hic mihi illuc proficiscenti in scripto sunt data, Dominationi Vestre Illustrissime his litteris inclusa mitto, quo Dominatio Vestra Illustrissima verbis non immutatis clarius cognoscat et Serenissimum Regem nostrum pretermissee nihil, quod ad hoc negocium promovendum pertinere videretur, et me illic modis racionibusque omnibus contendisse, ut postulatis Maiestatis eius satisficeret. Quare cum hac in tota legacione nihil curarim magis, quam ne aliqua in re vel diligencia vel fides mea requireretur, nihil dubito eam operam meam Illustrissime Dominationi Vestre gratam esse futuram... Vilnae, IX Novembris, anno 1551.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre  
perpetuus servitor  
Albertus Crisky

1) *Ioannes Ocieski.*

N. 1324.

Vilnae, 11.XI.1551.

*Ioannes Ocieski, R.P. vicecancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
pro novis gratias agit; de regis Romanorum [Ferdinandi I] bellicis pra-  
paramentis significat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime ac Excellentissime Princeps etc.*

Pergratum mihi accidit, quod Illustrissima Celsitudo Vestra rerum novarum, quae ad eam sunt allatae, me quoque participem fieri voluerit. Quo nomine non mediocres illi gratias ago et habeo. Quae quidem etsi iam antea literis ex Italia ad Maiestatis Regiae ac deinceps ad meam cognitionem fuerant deductae, tamen pro diversitate locorum, unde prodierunt, diversitatis nonnihil contraxisse videntur. Fit enim, ut partium suarum, quemadmodum rebus gestis, ita nomini et existimationi quisque plerumque serviat. Eas tamen Maiestati Regiae legi. Quumque eo loci ventum esset, ubi Summus Pontifex<sup>1)</sup> cum Serenissimo Galliarum Rege<sup>2)</sup> per literas utrinque inter se agunt, Maiestas Sua risum tenere non potuit. Qui locus etsi forte conficti in se aliquid habeat, tamen eius acuta dictio nonnihil delectationis retinet. Decuerat certe, ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae novas res pro novis remitterem. Verum nihil aliud nunc, quam de in tranquillitate Regni Hungariae huc adfertur. Haec nuper, quemadmodum ad nos erant allata, Illustrissimae Celsitudini Vestrae perscripsi. Serenissimus tamen Romanorum Rex ideo fertur nunc non restitisse, quod in his, quae ad bellum gerendum pertinent, comparandis intentus esse videatur, ineunte nimirum proximo vere ab universis, quae

ad militiam spectant, instructus, adversus eundem fortiter processurus.  
Quod foelix ac faustum perpetuumque illius Maiestati sit... Vilna, XI No-  
vembbris, MDLI.

<sup>a)</sup> Vestre Illustrissime Celsitudinis  
servitor deditissimus  
Ioannes Oczieski manu sua.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria*.

1) *Iulius III.*

2) *Henricus II.*

N. 1325.

*Posnaniae, 20.XI.1551.*

*Andreas a Górką, castellanus Posnaniensis,  
Alberto in Prussia duci  
nobilem Cherubinum Kosmaczewski commendat.*

*Sigill.*

(*Subscriptio deest: Propter valetudinem et adversam et afflictam  
subscribere non potui*)

(*Annexum: Supplex libellus eiusdem Kosmaczewski ad Andream a  
Górką sine data*)

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1326.

*Londini, 1.XII.1551.*

*Ioannes Laski  
Alberto in Prussia duci  
de subsidiis pecuniaris a rege Angliae duci Saxoniae Mauritio et Ioanni  
Megapolensi suppeditandis; de turbis in Anglia; de successibus Ec-  
clesiae (peregrinorum) in Anglia; de turbis in Ecclesia Pruthena;  
de novis doctrinis ab Osiandro seminatis; de classe caesarea per  
Gallos profligata.*

(*Partim in ciphra*)

*Sigill.*

*Iam ed. Kuyper II, pp. 665-7.*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime Princeps etc.*

Litteras Celsitudinis Tuae, 20<sup>ma</sup> Augusti scriptas, ego vigesima prima  
Septembbris accepi. Sum autem vehementer admiratus, quod meae litterae  
tam sero pervenerint ad Tuam Celsitudinem, cum is, cui illas trade-  
bam, Tuae Celsitudinis se familiarem et huc a Tua Celsitudine ad Maiesta-  
tem Regiam cum falconibus missum esse dicebat. Quod porro ad causam  
illam, de qua scribit, attinet, acceptis litteris adii mox <sup>a)</sup> Archeepiscopum <sup>z)</sup>  
Cantaurensem <sup>b)</sup> <sup>1)</sup> remque illi omnem diligenter exposui. Sed diebus  
ferme decem plus minus, priusquam litteras Tuae Celsitudinis accepis-

sem, <sup>a)</sup> venerat hic Nuntius cum mandatis Ducis Saxoniae Mauritii N. et Ducis Ioannis Mekelburgensis et potestate tractandi de foedere,<sup>b)</sup> actumque est <sup>a)</sup> de subsidiis pecuniariis non parvis,<sup>b)</sup> quemadmodum non dubito notum esse Celsitudini Tuae.

Itaque <sup>a)</sup> Cantauriensis non <sup>b)</sup> putabat utile fore, ut <sup>a)</sup> mentio eius causae fieret, donec ille Nuncius absolveretur.<sup>b)</sup> Priusquam autem id fieret, <sup>a)</sup> intervenerunt turbae gravissimae, captus denuo qui protector <sup>2)</sup> fuerat, captus et Paitetus,<sup>3)</sup> capti <sup>b)</sup> praeterea <sup>a)</sup> tres primarii Consiliarii et <sup>b)</sup> circiter <sup>a)</sup> quattuordecem alii insignes viri.<sup>b)</sup> Quae res <sup>a)</sup> nostra omnia plane perturbavit.<sup>b)</sup> Neque <sup>a)</sup> ille Nuncius tale responsum habuit, quale optabamus, sed res tota dilata est in aliud tempus.<sup>b)</sup>

Interim tamen cum <sup>a)</sup> optima spe, in qua ego nihil omnino <sup>b)</sup> dubito, nam <sup>a)</sup> ipsemet Rex Angliae promovet et sollicitat causam totam et iam incipit <sup>b)</sup> habere <sup>a)</sup> eam autoritatem, ut quae ille serio se velle <sup>b)</sup> ostendit, <sup>a)</sup> negari ei non possint.<sup>b)</sup> Sed haec <sup>a)</sup> tacenda sunt.<sup>b)</sup> Et puto Tuae Celsitudini omnia nota fore. Iam vero <sup>a)</sup> turbatis ita nunc rebus et causa foederis ita suspensa nihil plane<sup>b)</sup> video nos posse <sup>a)</sup> efficere ullo modo, etiam si maxime vellemus, et Cantauriensis non putat quidquam tentandum esse in causa <sup>b)</sup> Celsitudinis Tuae <sup>a)</sup> ante foedus confectum,<sup>b)</sup> ne et <sup>a)</sup> nos nihil impetremus et foedus coeptum impediamus.<sup>b)</sup> Quare visum est <sup>a)</sup> rem totam differre in aliud tempus.<sup>b)</sup>

Libellum Confessionis nostrae gratum Celsitudini Tuae fuisse valde gaudeo. Nunc sub prelo est tractatio de Sacramentis, quam etiam Tuae Celsitudini mittam, simul atque absolvetur. Ecclesia nostra (gratia sit Deo) multiplicatur, in qua publicam iam instituimus disciplinam non sine maximo fructu multorum. Vehementer autem scire cuperem, quae-nam istic turbae sint exortae in doctrina theologica. Multa enim dicuntur et scribuntur passim, quibus ego credere non possum. Interrogatus tamen a multis, non habeo quod respondeam. Dolorem certe vera esse, quae dicuntur. Et proinde summo cum desiderio expecto id, quod Tua Celsitudo in litteris pollicetur, nempe ut me<sup>c)</sup> certiorem pro gratia sua reddat, quo in cardine res istic theologica versetur. Ingens fama est, et indies magis ac magis litteris multorum confirmatur, Osiandrum nova istic quaedam prorsusque paradoxa dogmata serere, quae nova rursum dissidium pariant. Quin et Tuam quoque Celsitudinem non omni prorsus ex parte, ut verum fatear, liberant. Quod tamen cum bona Tuae Celsitudinis gratia dictum esto.

Putavi vero id Tuae Celsitudini significandum esse pro mea in illam observantia et fide, quandoquidem video nomen Tuae Celsitudinis in nescio quas suspiciones vocari. A quibus interim Tuam Celsitudinem libera-ram esse omnino et spero et opto.

De Osiandri eruditione nihil dicam, qui meam ipse inscitiam satis agnosco, sed ingenium hominis multis et piis et doctis viris suspectum iam olim fuisse non ignoro. Non putassem tamen illum, hoc praesertim ita turbulentio tempore, novos de doctrina motus excitaturum esse, non admonitus prius amanter et privatum reliquis Ecclesiis, quas Evangelium Christi profiteri et hoc nomine multa iam passas esse non ignorat. Utut autem id se habeat, optarim nomen Tuae Celsitudinis tragoediis istiusmodi non praetendi, pro mea in illam observantia. Quod quidem in optimam partem a Tua Celsitudine accipi postulo, ut qui nihil aliud hic spectem (id novit Deus), quam Tuae Celsitudinis primum salutem, deinde dignitatem et existimationem.

Hic novi nihil nunc propemodum habemus, nisi quod classem Caesaream, quae Maximilianum, Ferdinandi Regis filium, ex Hispania reduce-

bat, denuo per Gallos in mari Mediterraneo profligatam esse aiunt ipsumque Maximilianum aegre sese periculo subduxisse, amissis interim omnibus thesauris, quos secum vehebat, et omni adeo supellectili sua. Videtur bellum indies magis ac magis incrudescere. Non desunt tamen qui divinent brevi componendum esse, ut coniunctis demum viribus Papa, Caesar et Gallus haereticos invadant, ipsis scilicet Turcis etiam nocentiores.  
a) Venetorum Nuncius narravit Regi Angliae Turcum a Venetis b) in futuram aestatem a) postulare tantum commeatum, quantum per tres menses ducentis hominum milibus sufficere b) possit. Quod reliquum est, commendo me gratiae et benignitati Celsitudinis Tuae officiosissime. Et Deum oro, ut nobis Tuam Celsitudinem diu incolumem servet. Londini, prima Decembris, anno 1551.

Tuae Celsitudinis Illustrissimae  
addictissimus servitor  
Ioannes a Lasco manu propria.

a)-b) *in ciphra, solutum in duobus exemplis.*

c) *supra lineam.*

1) *Thomas Cranmer.*

2) *Ioannes Dudley, comes in Warwick.*

3) *Gulielmus Paget.*

N. 1327.

Posnaniae, 7.XII.1551.

*Lucas, Andreas et Stanislaus a Górká*

*Alberto in Prussia duci*

*mortem patris eorum, Andreeae, castellani Posnaniensis et capitanei Maioris Poloniae generalis, nuntiant.*

*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.381.*

N. 1328.

Vilnae, 17.XII.1551.

*Ioannes Ocieski, R.P. vicecancellarius,*

*Alberto in Prussia duci*

*significat responsum regis ad querelas incolarum terrae Koadiuty de iniuriis, a Samogitis eis illatis; mittit aliqua nova ex Hungaria.*

*Sigill.*

*(Annexum: Novitates ex Hungaria et Transilvania, 7.XI.1551)*

*H B A, B 2, K.381.*

*Illustrissime Princeps etc.*

Egi cum Maiestate Regia de iis rebus, quarum hic transigendarum negotium Illustrissima Celsitudo Vesta posterioribus literis mihi commisit. Pro meaque in illam observantia, nihil quicquam pretermisi, quod eo pertinere arbitratus sum, ut desyderio illius responderetur. Quae

autem sit in illis Maiestatis eius sententia et voluntas, ex Suae Maiestatis literis Illustrissima Celsitudo Vestra facile intelliget.

Reduxi insuper Suae Maiestati in memoriam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae postulationem, quam scribit ante biennium per literas Suae Maiestati se obtulisse, neque quicquam sibi eo nomine responsum esse, postulavique, quo pace illius Maiestatis Illustrissimae Celsitudini Vestrae liceret homines terrae Coadiutum ab iniuriis hominum Samogitarum, Suae Maiestatis subditorum, vindicare. Maiestas vero Sua, quod res ad deliberationem Consiliariorum Regni non pertineat, ad Senatum Magni huius Ducatus se relaturam respondit. Si res eius generis esset, quae in consilium Ordinum Regni referri possit, perfecissem fortasse, ut expectationi Illustrissimae Celsitudinis Vestrae satisficeret. Verum cum ea sit, in quam absque iusta reprehensione non possum me ingerere, Illustrissima Celsitudo Vestra boni consulere dignabitur, quo suum finem sortiretur, mea opera adiutam non esse.

Nova ex Hungaria in schedula presentibus annexa Illustrissimae Celsitudini Vestrae mitto... Vilnae, XVII Decembris, MDLI.

a) *Vestre Illustrissime Celsitudinis servitor perpetuus*  
Ioannes Oczieski manu sua.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria.*

*Annexum: Nova ex Hungaria, de die 7.XI.1551.*

Nova deliberata ab obsidione Themezivar et recepta Lipa caesisque aliquot millibus Turcarum. Ex Lippa,<sup>2)</sup> 7 Novembris.

Ad Reginalem Maiestatem<sup>1)</sup> Cassovia scripsit haec nova Dominus Capitanus Generalis Regiae Maiestatis,<sup>2)</sup> Ioannes Baptista de Castaldo, manu propria.

Cum certo sciam Maiestatem Vestram Serenissimam rebus nunc prospera gestis ac bonis totius Reipublicae Christianae favere, de parta victoria ac civitate Lipensi volui Maiestatem Vestram reddere certiorem, quo particeps rerum novarum laetius agat.

Primum igitur nos ante tempus constitutum ac mature suppetias Thermensiensibus<sup>2)</sup> tulisse certo intelligat. In ea quoque obsidione cecidisse quinque millia Turcarum, iacturam quoque haud contemnendam eum ibi accepisse. Liberato Themeswer, eodem momento Lippam obsidione strinximus ac tertio die expugnavimus, imperfectis mille et quingentis Turcis, ac Ulimanum Praefectum, Bassam cum potioribus, mox castro inclusimus, ubi nunc a nobis perstringitur ac strenue concutitur. Speramus postridie vi aut pactis ad manus nostras venturum illum cum omnibus suis. Est castrum iam iam semirutum et nullius momenti. Intelligimus Beglerbekum octo milliaribus tantum a nobis distare, illum quoque decrevisse Ulimanum suum eliberare. Sed nos praemisimus aliquot millia equitum cum peditibus selectis, ut speculentur copias ac proeliis incipient urgere. Diis faventibus et illum quoque profligabimus. Habemus enim militum bonorum decem millia et quinquaginta, bombardas minores trecentas. Datum ex Lippa, 7 Novembris, anno Domini MDLI.

1) *Isabella.*

2) *Ferdinandus.*

z) *sic in ms.*

N. 1329.

s.l. s.d. [1551]

*Ioannes Ocieski, R.P. vicecancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
de statu rerum reginae Hungariae [Isabellae].  
(Fragmentum)  
Sigill. Autoogr.  
H B A, B 2, K.381.*

... Hac septimana venerat cubicularius Serenissime Domine Ungarie Regine ad Maiestatem Suam missus, qui hec attulit secreto:

Primum litteras credenciales ab omnibus, qui aduc salvi sunt, Regni Ungarie Ordinibus. Suplicant nempe hii, ut Serenissima Ungarie Regina cum filio<sup>1)</sup> in Ungariam redeat. Promissum nempe illis esse, ut, si salvi incolumesque esse velint, pulsis ex Ungaria Ferdinandi militibus, filium Regis Ioannis reducerent, illoque in Palatinum Regni constituto, tributum Cesari darent. Alioqui se, liberos coniugesque in perdicionem iri.

Addunt preterea Hungari predicti, nisi id Maiestas Reginalis faceret, omnes se sub imperium Turce subiecturos, neque ulla ratione Ferdinandi imperium tolleratuos, quem Regni Ungarie, ob infinitam ambicionem, causam eversionis esse dicunt.

Multa preterea addita erant, que non nisi abominacionem<sup>a)</sup> Serenissimi Romanorum Regis imperii significant. Certumque est facilius Turcarum tyranno quam sibi omnes Ungaros parituros. Hoc illi.

Unde facile Celsitudo Vestra Illustrissima colligere potest, si quid boni ex Ungaria sperandum est, qua eversa, quam diu nobis salvos esse liceat, facile intelliget.

Vestre Celsitudinis  
manu sua.

a) sequitur expunctum: regnandi.

1) Ioannes Sigismundus.

N. 1330.

Vilnae, s.d. [1551]

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de nuntio ad regem Romanorum in negotio Prussico misso; de contro-  
versia inter Fabianum Czema et palatinum Pomeraniae, Stanislaum  
Kostka.  
Sigill. Autoogr.  
H B A, B 2, K.381.*

Illustrissime Princeps.

Hoc in priori epistola oblitus sum (properando) adscribere: Heri in Senatu sive consilio Polonico aut aulico, absolutum esse nunccium, no-

bilem ex Mazovia dictum Kriski,<sup>1)</sup> hominem iuvenem, bene doctum et in Italia non frustra aliquandiu versatum. Est enim religionis papistice (ne quid peius dicam), aliud sepe dicens quam sentit, adaptans se nostrorum synceriorum aulicorum partibus, cum sit totus, quantus est, aulicorum, praelatorum et Vicecancellarii<sup>2)</sup> papistissimi parcum. Ad Romanorum Regem, ut agat et conveniat de die vel tempore vel loco, in quo negocium de Prussia per Commissarios utrinque mittendos et ipsum Regem Ferdinandum arbitrum tractabitur. Petere autem debet, ut tale tempus quam longissime differatur, habere enim Regem Poloniae multa, que hiis temporibus agat. Quod si de maiori dilacione convenire non possit, ut saltem sit post Generale Concilium, quod nunc Tridenti (si diis placet) tractatur. Eosdem enim Commissarios in causa Prussie, quos et Legatos ad Concilium Rex Polonie vult habere. Hic Doctor Hosius intelligendus est.

Item orta est hic controversia, aut vetus crevit, inter Dominum Fabianum<sup>a)</sup> Czeme et Stanislaum Costka, Palatinum Pomeraniae, ita quod nihil aliud sequi ex ea possit, quam duellum, si aucupes aulici, et presertim Vicecancellarius, artibus suis non eluderent, animum regium et debitum sive officium alio seducentes, ut quidem causam Palatini Pomeraniae promoveant, sed magis ut eius nummose crumene insidias ponant. Ex querela Domini Czeme, nudius tercius facta, petivit Dominus Costka dilacionem ad deliberandum. Quod Regia Maiestas ad proximum diem lunae distulit. Fuit autem querela eiusmodi, quod Dominus Costka scripsit Dominum Czeme molendinum eius diripuisse noctu. Et postea in vel coram iudicio Derssaviensi mandavit clamare publice, quod hoc molendinum diripuit non indicta hostilitate, nec habens aliquid cum Domino Costka, quod ageret hostiliter. Que omnia fecit ipse Costka contra Dominum Czeme, tanquam fur honoris illius et bonae famae, nec unquam eiusmodi sua verba vera faciet. Quid iam Costka respondebit, incertum est divinare de homine, qui peccunie (in primis) est studiosus. Facile autem divinare possemus de responso, si cum alio quopiam res agatur, certissimum enim duellum ex hoc sequeretur. A partibus Costka stant Vicecancellarius, quamquam hoc constanter neget, et Xądz Przirepski,<sup>3)</sup> Samuelis olim Cancellarii<sup>4)</sup> Cancellarius, et omnes papiste aulici, qui tamen admodum pauci sunt. Cum Domino vero Czeme reliqua aula tota. Quamquam autem multum sit, qui nunc apud nos Vicecancellarium in partibus suis habeat, tamen eciam non male est, qui Regem habeat, quem Dominus Czeme habere videtur. Valeat iterum Illustrissima Celsitudo Vesta quam felicissime mihi propicia. Vilne, ut supra.\*

Stanislaus Boianowski.

a) *loco expuncti*: Achatum.

1) *Albertus Kryski*.

2) *Ioannes Ocieski*.

3) *Ioannes Przerembski*.

4) *Maciejowski*.

\* ) *forsitan aliis litteris adscriptum*.

*Ioannes Ocieski, R.P. vicecancellarius,  
Ioanni Kreitzen, cancellario ducis in Prussia,  
de colloquio suo privato cum rege in negotio eradicandarum simultatum  
de finibus cum duce Alberto.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.381.*

Magnifice Domine

Heri, post terciam horam noctis horologii integri, discessi ex privato colloquio Serenissimi Regis mei. Habitus est copiosissimus de Celsitudine Sua honorificentissimusque sermo. Desideratur, ut iactis a me fundamentis Celsitudo Sua finem imponat reliquiasque simultatum, si que aduc sunt, eradicet. Dedit horam Celsitudini Sue 21 ad respondendum, que in Senatu Lituanico tractata sunt. Dat igitur in arbitrium Sue Celsitudinis, an privatam presens et mox tandem publicam, vel publicam private anteferre malit. Sed meo iudicio commodius tandem colloqui posset, absoluto prius publico responso. Nequaquam consentire voluit Senatus is in donationem terre, de qua finium controversio<sup>z)</sup> agitur. Maiestas tamen Regia alium modum invenit, quo satisfiet desiderio Illustrissimi Principis nostri communis citra offensam iurisurandi, quod Ducatui huic de ampliandis augendisque finibus debet. Reliqua coram.

Vestre Magnificencie benevolentissimus  
Ioannes Ocieski manu sua.

z) sic in ms.

# 1552

N. 1332.

Zadybie, 16.I.1552.

*Ioannes Ocieski, R.P. vicecancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
se gravibus negotiis impeditum litteras ad ducem missas, de causa Georgii  
Ritter tractantes, non perlegisse significat rogatque, ut dux sibi exem-  
plum earum litterarum mittat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1333.

Posnaniae, 17.I.(?)1552.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de misero statu rerum in Polonia.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.382.*

Precor Illustrissimae Vestrae Celsitudini omnia leta in hoc lugubri  
et tristi seculo.

Illustrissime Princeps.

Quod tam diu nihil scripsi, multis excusacionibus Celsitudini Vestre  
obstrepere nolo. Causa tamen hec est, quod ex Lytffania mense Septem-  
bri egressus, vagus hucusque fuerim, Russiam, Volhyniam, Minorem et  
Maiorem Poloniam pererrans. Speculabar obiter mentes et animos homin-  
ium, sed commiseratione digna omnia invenio. Anguntur enim simulque  
fremunt passim omnes, partim eciam quasi fatalia mala praesagiant et  
metuant, animadvertentes malas practicas ubique strui, in leges quidem  
et libertates publicas, sed et in religionem, que fortasse in toto oprimetur,  
nisi per extrema remedium queratur ferro, igne etc. Dominus Deus  
auferat talem emendacionem ac religionem suam bonis modis conservet.  
Ab externis periculis eciam non tuni sumus, nec tamen apparent consilia  
vel signa consiliorum, per que pericula depellantur. Verisimile autem  
est, quod in proximis Regni Comiciis hec omnia serio tractabuntur. Com-

missa enim nuncciis sive tribunis plebis per omnes conventus provinciales fuerunt. Exitum bonum a Deo precamur. Sacrifici interim sceleracius et impudencius multo res suas agunt, quam antehac unquam, malis et occultis quibusdam artibus freti, quas cum aulicis practicis, et presertim Domini Vicecancellarii,<sup>1)</sup> communes habent... Posnanie, ocreatus scripsit 17. anni 1552.

Stanislaus Boianowski.

1) *Ioannes Ocieski.*

*N. 1334.*

*Petricoviae, 17.II.1552.*

*Nicolaus Jarand Brudzewski, palatinus Lanciciensis,  
Alberto in Prussia duci  
de causa sua cum Alberto Finck, iudice provinciali Hohensteinensi, occa-  
sione bonorum Mielno excitata, ut ei dux extremam manum tandem  
imponat.  
Vest. sigilli.  
H B A, B 2, K.382.*

*N. 1335.*

*s.l., 22.II.1552.*

*Andreas Sieprski, palatinus Ravensis,  
Alberto in Prussia duci  
se cognovisse scribit filium suum, in aula ducis commorantem, 100 tale-  
ros in favorem subditi ducis alea perdidisse; quam summam se resti-  
tuturum esse post filii domum redditum.  
(Germanice)  
Sine sigillo.  
H B A, B 2, K.382.*

*N. 1336.*

*Petricoviae, 26.III.1552.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,  
Alberto in Prussia duci  
responsum, nuntiis ducis in Comitiis Regni datum, ducem aequae laturum  
esse confidit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1337.

Petricoviae, 29.III.1552.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci*

*de libertate piscandi secretario ducis, Muncero (Münzer), concessa; de confirmatione reformationis seu donationis propter nuptias ducissae a rege impetrata.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1338.

Petricoviae, 3.IV.1552.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci*

*ex gestis in Germania conjecturam sumit de bonis signis «mitioris in nos divinae voluntatis»; de misero statu rerum in Polonia refert: de iudicis neglectis et ad alia Comitia reiectis; de controversia inter clerum et ordinem equestrem; de execusione iurium item ad calendas Graecas dilata; de contributione pro Regni finibus defendendis etc.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

... Illustrissime Princeps.

Etsi materiam scribendi (Vestra Celsitudine dignam) non video, et si que esset, eam nunc cii Vestrae Celsitudinis adferent, non tamen possum abstinere, occasione oblata, a scribendo. Sepius quidem memoria revolvebam verba vel sermones Vestrae Celsitudinis, sed nunc multo diligencius, cum iam videam vera illa auguria (ne dicam prophecias) fuisse. Quandocunque enim sive in colloquiis, sive in epistolis, de publicis calamitatibus nostrorum temporum, presertim vero de oppressa religionis veritate, cum Vestra Celsitudine contuli, semper hoc Vestra Celsitudo praedicebat Dominum Deum nostrum per illos, quos sibi in hunc usum reservat, conatus malevolentium repressurum suosque consolaturum esse. Nec voluit sua divinitas nos respicere, cum in humanis viribus adhuc speraremus, et cum nobis fortes ad frangendas vires et artes inimicorum videbamur. Nunc autem, postquam omnes fere desperare et animum despondere cepissemus, et nostri eciam Polonici druides, accepta fama de victa Maydeburga (quam illi scyntillam vocabant, sed unicam tantum illam, ex qua adhuc aliquid metuebant), triumphare et cristas preter solitum attolere ceperant, et ecce Dominus prope adest suis, sicut promisit, usque ad consummacionem seculi.

Scire enim Vestram Celsitudinem non dubito, quid in Germania, Gallia etc. contra pharisaeum et pestiferum Cesarianorum propositum instituatur. Quod quidem etsi eciam nihil aliud quam humanarum virium instructio esse videatur, non desunt tamen bona signa micioris in nos divinae voluntatis, cum illos in castra sua reducit, qui ante in reprobum sensum delapsi fuerunt. Quamquam autem maliciose artes tractare non desinit faccio ista satanae, fingens practicas et refingens, nunc spargit famam Cesarem cum Gallis pacta pacis iam iam finiturum, nunc rursus

ad Parmam et Mirandulam expugnandam certissimas artes et modos inventos esse, quibus brevissimo tempore capiantur, nunc scribebunt a Venetis nova prodiisse, que per speculatoros eorum allata sunt, Turcarum Imperatorem Persico bello ita impeditum, ut neque classem, quam parbat instructissimam, Gallis, ut dicunt, in auxilium mittere, neque in Hungariam suis subvenire posse. Sed isti practici hoc ignorabant Caesarem Turcarum alios exercitus versus hostem sibi orientalem, et alios contra occidentales, educere solere, nec esset possibile per tam longum iter integrum belli apparatum venire posse. Quod quidem utinam sit (cum bono nostro) verum. Tamen cercior fama (quamquam secrecior) afferetur Caesarem Carolum fortunae et viribus ac industrie sue minus nunc, quam antehac unquam, confidere insolitisque animi passionibus laborare. Hoc tamen dubitatur, conscientia ne malefactorum magis quam tot et tantae hominum machinacionis metu excrucietur. Quod si verum, est non obscurum indicium bonitatem divinam nos consolare et illos castigare et tandem ad se reducere velle.

De nostris actionibus nihil est novi, omnia maioris momenti negocia, ut sint iudicia, que iam a multis annis turpissime iacent abiecta, more solito diu confuse tractata, in alium Conventum producta sunt. Controversia inter clerum et ordinem equestrem in priore errore suspensa. Exequucio omnium iurium Regni, de qua iam ab annis circiter 50 quolibet anno acerrime disputatur, itidem reiecta, ad Calendas Grecas fortasse. Contribucio pro Regni finibus defendendis hodie instituitur de quolibet rustico agricola 2 grossi, parum sive multum agri quis colat, ut conferatur in publicum, de inequalitate autem agri inter se rustici componant, sive medium grossum unus et alter unum cum medio, modo a singulis agricolis 2 grossi veniant. Sacrificos ad idem trahunt, ut non solum a suis subditis hoc dent, verum ab omnibus in Regno, cum ab omnibus decimas accipient. Qui adhuc recusant, sed non facile evadent. Concessa hac contribucione, offert se ordo equestris ad bellum generale iturum, non solum si adsit potens hostis, verum eciam animi causa, ut expulsa ignavia vel desidia intermissum militare exercicium reducatur etc. Sed longe abesse videntur nostrae practicae a bello tali, non solum exercicii, sed neccessitatis summe causa. Offensiones enim et acerrima odia, fatali quadam malo iam pridem inter subditos et Regiam Maiestatem praticosque aule introducta, non hoc suadent. Que quidem si non magis ac magis indies in cordibus crescunt, certe eciam non minuuntur. Et hoc est unum, quod nos omnes malo et perturbato animo esse facit, cum aliqui mediocriter foelices vivere possemus in hoc non foelici per omnia loca seculo.

Propositi fuerunt ante unum mensem, non tam serio quam arte quadam, aut illusionis pocius causa, tribunis provincialibus sequentes articuli, ut de illis consultent, si Caesar Turcarum foedus inire (quod iam quater denegavit) nobiscum recuset, quomodo defensio instituenda.

Item cum equites sine aliquo peditum numero non ita bene usui esse possunt, apud nos autem paucos pedites aptos videri, quo pacto ex oppidis et villis pedites haberentur?

Item si bellum generale (quod illi tantopere appellant) futurum sit, unde peccunia in militem stipendiarium (sine quo fieri non potest) sit petenda?

Item ne Moldavia (que sanguineis lachrimis auxilium nostrum implorat) in toto pereat, quid faciendum?

Item interea, dum bellum generale paratur, ad quod tardissime convenire solent, quomodo fines Regni a levioribus incursionibus serventur?

Item de terris Prussie, postquam iam Imperator bannum contra Ducem emisit, quis defensionis modus iamque et Gedanenses etc. ad idem in ius vocat etc.

Item a Romanorum Rege postulata auxilia contra Turcas, quomodo illi vel an sint ferenda?

De istis nulla amplius erit questio, laudata contribucione. Restat adhuc accio hec, ut Senatores una cum tribunis a Rege petant, ne in Lytwaniam (quo se iturum toto hoc tempore minabatur), eat. Quod ubi Regia Maiestas subolfecit, mutato sermonis textu admonicionemque antevertere volens, iam non ibo, inquit, in Litwaniam. Ego in utramque partem credere sum paratus. Nihil enim certi ex omnibus fere sermonibus nostris hactenus colligere potui.

Item Dominus Castellanus Cracowiensis,<sup>1)</sup> facile colligens Illustrissimam Vestram Celsitudinem non bene contentam futuram de responso in negociis eius dato, cupit apud Vestram Celsitudinem excusatus esse, ut qui contrarium huic responso consulebat. Quod quidem ego ita esse scio. Mutavit hic Senator animi sui motus et studia in melius post agnitam veritatem, in cultu divino agnovit plurima alia bona Reipublicae, estque nunc longe studiosior Vestrae Celsitudinis, quam antehac unquam. Quod, quia non parum refferre scire Vestram Celsitudinem existimavi, scribo.

Porro quod me attinet, ego ab aula (quamquam mihi iam pridem exosa) divelli non possum. Video me esse suspectum in grammatica. Ostenditur mihi bonus vultus, ut Galli dicunt, et magnifica promissa, sed omnia in ventum hactenus abeunt. Sed reservo hec, ut dicam coram, nondum enim abieci spem et cupiditatem Vestram Celsitudinem invisiendi, idque in cursu trium mensium, nisi forte novum quiddam accidat. Graciam autem, quam maximam possum, habeo Vestrae Illustrissimae Celsitudini pro ea clemencia, quam et re ipsa expertus sum sepius et in omnibus fere litteris Vestrae Celsitudinis ad maiora video... Petrikoviae, 3 Aprilis, 1552.

Stanislaus Boianowski.

1) Ioannes Tarnowski.

N. 1339.

Petricoviae, 13.IV.1552.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci*

*refert de tumultibus in Germania et de regis Galliae [Henrici II] in eis  
parte; de gestis imperatoris [Caroli V]; de tentatis pactionibus Tur-  
carum; de principibus Germaniae militias congregantibus; scribit  
etiam de regis [Sigismundi Augusti] proximo conventu cum regina  
Bona, quae in Italiam ire intendit; de Comitiis Regni et de revocato  
regis in Lithuania itinere; de prospectato novo matrimonio regis;  
de Concilio Tridentini proximo fine.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

*Omnia foelicissima precor.  
Illustrissime Princeps.*

*Accepi litteras Vestrae Illustrissimae Celsitudinis, ex quibus intelligo  
et amplector clemenciam et graciam illius erga me constantem esse. In*

qua quidem etsi ego nunquam dubito, postquam mihi semel promissa est, gratissimum est tamen et iucundum Illustrissimae Vestrae Celsitudinis testimonium confirmativum. Excusat autem se, quod mihi tam diu manu propria non scripserit eiusque rei iustas causas recenset, quasi in ea re aliquid peccavisset. Quod quidem ego modestiae et benignitati eius tribuo. Sed re ipsa non erat opus hac excusacione. Ego enim, qui scio omnes magnos et principes viros gravatim (presertim multa) scribere, nisi fortasse unum (inter plurimos) Duce Prussiae excipere possem, admonui et rogavi, ne Illustrissima Vestra Celsitudo laborem et molestiam aliquam suscipere dignetur, causa mei manu propria ad me scribendo, nisi forte quidpiam me velit [scire], quod non cuilibet sit credendum. Tum ego id cupio, quod alioqui non peto. Satis est enim mihi de gracia Vestrae Celsitudinis certum esse.

Quod vero de tumultu in Germania scribit, hoc eciam apud nos quotidianie confirmatur, vergitque hic<sup>a)</sup> motus ad magnam magnarum rerum mutationem, eumque talem futurum prophetizant, qualem (memoria nostra) tota Europa non vidit. Nescio autem, quid alii Reges, quibus Caesaris pharisaismus et artes dolose suspecta sunt, faciant vel cogitent. Sed Rex Galliae defensorem Germanicae libertatis se scribere non dubitat. Quamquam autem bellum semper malum esse dicatur, et revera raro aliter contigit, legimus tamen in Veteri Testamento plurima bella salubria tum populo Dei fuisse. Quod et de presenti bello sperare possumus, si a nostris bono erga Deum et Rempublicam animo suscipitur.

Scribunt Caesarem et Regem Romanorum hos motus quasi dissimilares, et interea per omnes occasiones militem scribere. Quem quia ex nacione Germanica non numerosum se habere posse vident, spargunt novos semper rumores, quos prioribus meis litteris (per Assuerum missis) enumeravi. Nunc addunt Caesarem Turcarum foedera apud illos ambire et petere, cum interea ipsi suos Legatos (pacem mendicatum) miserunt. Quam si quis existimaverit eum esse daturum (occupata per eos Transilvania), frustrabitur. Utinam autem Turce perpetuo dormiant, modo christiani omnes vigilent, non laboraremus.

Item dicunt Regem Galliae per Italiam secreto cum Caesare condiciones pacis tractare. Mediolanum bona quadam condicione restitutum iri. Gallos fidem Germanis datam deserturos ipsosque prodituros. Ipsi enim Galli a Turcis, quorum spe tantum bellum suscepérunt, derelicti etc. Caesarem habere duos illosque magnos exercitus Hyspanicos in finibus Galliae.

Ex Germania scribitur, quod Elector Mauricius unum eumque numerosum exercitum, Lantgravii Hessie iuniores<sup>1)</sup> alterum, Marchio Albertus tertium, Rekerot<sup>2)</sup> quartum, Schertel<sup>3)</sup> quintum habeant. Hii omnes (aut maior pars) versus Brabanciam tendere dicuntur, cum exercitu Gallico et ipso Rege Galliae ad Antverpiam (ex condic和平) conventuri. Quod quidem ego non facile credo. Existimo enim eius belli rationes aliud suadere, nisi forte celeriter rem expedire possint. Plurima enim loca in inferiori Germania esse in dedicionem parata dicuntur, ob Interim quidem prius, ex proximis autem Imperii Comiciis Inquisitione heretice pravitatis (more Hyspanico) offensa. Ex Helveciis eciam pro Rege Galliae exercitum scriptum affirmant etc.

Porro Vestra Celsitudo de suo mecum congressu scribit. Hoc ego, si quidquam aliud, cupio modumque, ut hoc fiat, per omnes occasiones quero. Nec dubito ante proximam hyemem hoc fieri posse. Amen.

Post postremas meas litteras non video, quid de rebus nostris novi scribam, nisi hoc, quod Regia Maiestas post 20 dies hinc ad Gostinin, 16 miliaribus distans oppidum, ire proposuit, ubi fortasse cum matre conveniet, que novem tantum miliaribus aberit. Introducitur enim practica non parvi momenti, quod Reginalis Maiestas cupit vel simulat se in Italiam ire velle. Fit grandis questio, quomodo vel an sit dimittenda. Offert, ut audio, omnes suas possessiones (vel bonam eorum partem) in Polonia et Lyttwania. Que quidem non ingrata nobis essent, sed de peccunia agitur, de parata scilicet. Tempus effectum ostendet.

In fine Comiciorum nostrorum Regia Maiestas, ad admonicionem et preces Ordinum Regni, promisit se in Lyttwaniam non ituram. Itaque ex Gostinin mox a festo Pentecosten Toruniam ibit ad festum Sanctissimae Trinitatis. Illuc omnes fere primi ordinis Senatores, ad postulacionem Suae Maiestatis, se venturos promiserunt. Ex nobilitate eciam plurimi venient. Et ille actus debet esse primus Regie Maiestatis, quo illi subditi gratitudinem et debitum Regi honorem sponte exhibere volunt. Hactenus iter regium publicatum est. Secreto autem dicunt quidam,  
b) ut nobis simplicibus imponant,<sup>c)</sup> ex Torunia Leopolim Russie Suam Maiestatem ituram. Quidam autem ex minoribus discipulis existimant, ex Torunia Marienburgam et Gedanum. Possit eciam fieri, ut aliquis in hoc instructus Duci Prussiae persuadeat, ut Sua Celsitudo Regiam Maiestatem ad se hospitem roget in Montem Regium, deinde rogabit, ut castrum Mamel Sua Maiestas videat. Exinde vero, quocunque eundum sit, Wilna non erit pretereunda. Que quidem omnia ego non affirmo, sed tantum, sicut per somnium, auguror.

Rogarunt preterea tribuni plebis, ut Regia Maiestas uxorem duceret. De qua quidem re cum Sua Maiestas in Senatu in utramque partem non pauca verba faceret, flevit, mencione de postremo matrimonio introducta, accusans tribunos quodammodo, quod nunc contrarium petere illos non pudeat. Sunt, qui dicunt Lyttwanie Marszalkum hac estate peregre iturum, ut quandam in Bavaria videat, et fortasse viduam Ducis Mantuae relictam,<sup>d)</sup> sororem videlicet nostre prioris Regine Elizabet. Sed ego eciam non affirmo.

Item venit hodie ex Wienna Austrie Raphael Dzialinski, Capitaneus in Strosperg,<sup>e)</sup> qui dicit Patres Concilii Tridentini in magna parte dispersos esse, tantumque papalem<sup>f)</sup> et Caesaris Legatum<sup>g)</sup> cum aliquod Abbatibus Hyspanis adhuc ibi herere.

Item mitto Vestrae Celsitudini istius Sacrosanctae Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregatae, acta.<sup>h)</sup> Que ut imprimantur propter posteritatem, ut videat illos Patres sanctitate vel pellibus ovinis involutos, ne, qui sint, cognoscantur. Valeat Illustrissima Vestra Celsitudo cum suis omnibus foelicissime. Petrikoviae, 13 Aprilis, 1552.

Item Regia Maiestas contenta est, ut pauci ex aulicis nunc cum illa eant, modo ut ad Pentecosten veniant. Igitur et ego ad uxorem ibo, intra tempus suprascriptum redditurus in aulam.

Stanislaus Boianowski.

a) in ms. his

4) Catharina.

b)-c) in margine.

5) recte: Strassburg, polonice Brodnica.

1) landgravii Hassiae iuniores: Gulielmus IV,  
Ludovicus III.

6) Marcellus Crescentius (Crescenzi).

2) sic in ms.

7) comes de Montjort aut Franciscus de Toleto.

3) Sebastianus Schertlin a Burtenbach.

\*) desunt.

N. 1340.

Petricoviae, 23.IV.1552.

*Andreas Sieprski, palatinus Ravensis,  
domino Kitlitz  
gratias agit pro auxilio in controversia cum aliquo nobili, ducis subdito,  
qui asserit filium suum pecuniam, alea cum ipso perditam, ei debe-  
re; post filii domum redditum rem claram futuram.  
(Germanice)  
Sine sigillo.  
H B A, B 2, K.382.*

N. 1341.

Petricoviae, 26.IV.1552.

*Spytek Jordan de Zakliczyn, castellanus Sqdecensis et R.P. thesaurarius  
generalis,  
Alberto in Prussia duci  
de loco anni stipendi duci persolvendi regem post suum Toruniam  
adventum decreturum esse nuntiat.  
Sigill.  
H B A, B 2, K.382.*

N. 1342.

Petricoviae, 28.IV.1552.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de nuntii a Turcis reditu deque legato maiori ad eos destinato; de spe-  
rata magna in Turcia mutatione; de imperatore [Carolo V] et de  
electoribus Germaniae; de regis Galliae [Henrici II] exercitu; de re-  
ginae Hungariae [Isabellae] in Poloniam adventu; de Concilio Tri-  
dentino « disperso »; de legatis ad papam mittendis, ut saltem Natio-  
nale Concilium in Polonia congregetur; de exercitu in finibus orien-  
talibus Poloniae congregato.  
Sigill. Autogr.  
H B A, B 2, K.382.*

Illustrissime Princeps.

Hactenus solebam (in omnibus fere epistolis meis) ad Vestram Cel-  
stitudinem mala nova scribere. Nihil enim boni habebamus, in multorum  
malorum metu et perturbacione positi. Nunc autem, etsi non omnino  
adhuc liberati esse videamur ab omnibus, spes tamen longe meliores  
apparet. Maiora enim pericula longius abesse putamus, presertim ab  
extra. Domestica vero iam leviora, et quasi pro familiaribus habita, faci-  
lius ferre incipimus, cogitantes fortasse, quod nihil est ab omni parte  
beatum.

Rediit ex Turcia (sive ex Grecia) aulicus Regie Maiestatis Bronyewski,<sup>1)</sup> qui ad iter maiori Legato praeparandum missus erat. Is dicit Imperatorem Turcarum amico animo in foedus, tocies nobis per hos 4 annos negatum, consensisse benivoleque Nuncium nostrum de hac re cum illo tractaturum expectat. Ad quam legacionem Dębyenski, Castellanus Byeczensis,<sup>2)</sup> est deputatus. Sed non hoc ego bonum dico, quod nobis amicicia Turcarum offertur, quam illi tantisper servant, dum utilem putant, verum hoc, quod ipse Bronyewski affirmat: Imperio Turcarum magnam mutationem imminere. Quod ipse Imperator Andrnopoli podagra quidem decumbens, sed in toto propere senescens et deficiens, non obscure metuit. Habet tres filios, singulos Imperium ambientes, nec potest modum sedandi illorum animos invenire, idque in vita sua! Suspecta est eciam illi potentia et industria Regis Persarum,<sup>3)</sup> ad quem suspicatur unum ex suis filiis defecturum esse, si spes in armis domesticis non succedat. Valetudine itaque et augurum suorum hariolacione remoratus, Hungarice expeditio ipse non intererit, sed exercitum ad confirmandos suos cum Ayas<sup>4)</sup> aut Rostembassa<sup>5)</sup> mittit, domesticis malis interim consulere volens.

Imperator Carolus V (cuius amicicia nobis merito suspecta esse debet, si illi, quod absit, vaccabit) non mediocriter est impeditus. Quod etsi Illustrissima Vestra Celsitudo melius novit, tamen et ego illa, que huc nuper pro certis allata sunt, scribo. Elector Mauricius cum Marchione Alberto et ceteris adherentibus 4 Aprilis Augusta Windelikorum potitus est, depositisque omnibus cesarianis officialibus, veterem urbis administracionem et libertatem restituit. Que res, etsi per se magna sit, exemplum tamen ad ulteriora longe maius esse videtur. Prosperet Deus bene volentibus, hoc novum, ego vidi manu novi Proconsulis Augustam ad filium eius, Herbrot, qui hic apud nos est, scriptum. Affirmant preterea Regem Galliae cum Germanico exercitu, quem dicit Schertel<sup>6)</sup> (qui iam Lucelburgum occupasse dicitur), hiis diebus prope Antverpiam congressum aut iam congressum esse.

In Italia eciam et Pedemontana regione ex Gallis, Italis et Helveciis numerosos habet exercitus. In mari itidem classe fortunaque superior esse dicitur.

Caesar adhuc est in Ispruk, vigilans quidem et bene instructus, presesttim a peccunia, esse dicitur habetque exercitus non contemnendos. Angitur tamen et est distractus eo maxime, quod Germanos milites non potest habere tot, quod<sup>7)</sup> vellet aut sperabat. Plurimi enim Germani resipuisse dicuntur, qui amplius contra patriam, libertatem et fidem suam servire nolunt. Hoc preterea Caesarem male habet, quod fortasse Ungariam Turcis expositam desere[re] coguntur, quamquam ad Caesarem Turcarum emendicandi foederis causa miserunt. Quod tamen et ipsi non sperant et certum est Turcam non daturum, nisi illum res adverse cogant.

Quid iam Itali cum suo Papa,<sup>7)</sup> quem in partes Gallicas recasurum brevi existimant, quod Hyspani facient, Deus novit. Ego nostris Germanis Deum propicum, concordiam, fidem et sobrietatem precor. Mauricius Elector 4 civitates bene munivit: Dresnam, Lipsiam, Wittembergam et Maydeburgum, a Bohemis et aliis adiacentibus sibi metuens, sed non est, quod Bohemos metuat. Hos enim Rex Ferdinandus in campum educere nullo modo audet. Immo satis negotii habebit, ut illos domi in officio retineat, si Germanis prospere cedet.

Item Palatinum Moldaviae sive Valachiae<sup>8)</sup> affirmat Bronyewski parcium nostrarum contra Turcas cupidissime esse velle seque vasallum

(ut suos antecessores) confiteri, modo illum agnoscamus et aliqua ex parte iuverimus.

Item Regina Isabella hodie ad nos ingreditur, die dominico proximo versus Warschoviam itura. De itinere Regie Maiestatis ad hoc, quod paulo ante Vestrae Illustrissimae Celsitudini scripsi, nihil video immutari. Proxima die 8 Maii in Ploczko annales ceremonias funebres absolvere vult Regia Maiestas lugubresque vestes deponere.

Deinde, ut ante scripsi.

Concilium Tridentinum dispersum est. Dicunt eciam exercitus ab obsidione Parmae et Mirandulae abductos esse ad Cesaremque tendere. Sed hoc ego non facile credo. Denudaret enim illas Italiae partes Galliæ militibus, qui erant in obsidione, et aliis venientibus et, quod magis esset fortasse, daretur occasio clandestinis vel occultis Gallice partis faccionibus, quas (si quando) magnas esse dicunt, erumpendi, veniretque Cesar in periculum de omnibus dominiis, que habet in Italia.

Item Stanislaus Tęczinski, Castellanus Leopoliensis, qui cum duobus Episcopis ad Concilium Tridentinum erat designatus, mittitur ad Papam, ut Concilium Nacionale in Polonia (si Generale non sit futurum) annatasque impetraret.

Item hoc et futuro mense scribetur miles mercenarius levis armature in partes Russiae, numero, ut vulgo dicunt, 4 millia Polonorum, sed de duobus millibus rem agi video, qui cum 3000 Lyttwanorum coniuncti manebunt. In campis Wolhynie, circumcirca illum locum, ubi arx Bracław proximo autumno exusta est per Tartaros, per hanc estatem. Interim vero nova arx extruetur sub illa custodia, in eodem vel in aliquo alio commodiore et propinquo loco. Dominus Castellanus Cracoviensis, Tarnowski, promisit Regiae Maiestati se illuc iturum, ut de loco et modo edificandi castri ipse constitutus. Sed ego dubito, an hoc facere possit, propter adversam valetudinem. Scripsi iam antehac sepius Vestrae Celsitudini hunc Dominum studiosum esse Vestrae Celsitudinis et amicum observanciaeque plenum animum erga illam gerere. Reliquum est, ut Illustrissima Vestra Celsitudo cum suis optime valeat. Petrikovie, 28 Aprilis, 1552.

Stanislaus Boianowski.

2) sic in ms.

5) vel Rustan bassa.

1) Martinus Broniewski.

6) Sebastianus Schertlin a Burtenbach.

2) Ioannes Dembiński.

7) Iulius III.

3) Tahmasp I Sophi.

8) Alexander Lopušneanu, palatinus Moldaviae

4) Aias bassa.

N. 1343.

Brudzewo, 14.V.1552.

Elisabeth de Sieprc Brudzewska, palatina Lanciciensis,  
Alberto in Prussia duci  
in causa cum Alberto Finck, iudice terrestri Hohensteinensi, de bonis  
Mielno, vivente adhuc marito suo, incepta neque ad finem deducta,  
in duce defensorem ac protectorem habere cupit.

Sigill.

H B A, B 2, K.382.

N. 1344.

Halicz, 28.V.1552.

*Nicolaus Sieniawski, palatinus Belzensis et Regni Poloniae campestris  
capitaneus,  
Alberto in Prussia duci  
Procopium Sieniawski, dapiferum Leopoliensem, fratrem suum, ad ducem  
proficiscentem, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1345.

Krašnik (Crasnicii), 16.VI.1552.

*Ioannes Jabłoński  
Alberto in Prussia duci  
centum aureos annui stipendii per servitorem suum sibi mitti petit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1346.

Sieprc, 20.VI.1552.

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,  
Alberto in Prussia duci  
excusat se, quod ducem in persona invisere non potuerit, offitiaque sua  
offert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1347.

Marienburgi, 3.VII.1552.

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,  
Alberto in Prussia duci  
nobilem Caium de Wirahl, qui « orbis magnam partem peragrando lustra-  
vit » et « varios mores multarum gentium cognitos habet », com-  
mendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1348.

Gedani, 8.VIII.1552.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
ducem Gedano discedentem se non salutasse neque ei valedixisse dolet  
et falsa opinione de hora discessus eius se excusat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1349.

Gedani, 9.VIII.1552.

*Ianussius Kościelecki, palatinus Brzestensis, Maioris Poloniae capitaneus  
generalis,  
Alberto in Prussia duci  
nobilem Nicolaum Ostromęcki commendat, ut ei in Metrica Culmensi  
(in ms. Chelmensi) amissum super bona quaedam privilegium per-  
quirere et, si id invenerit, describere liceat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1350.

Gedani, 9.VIII.1552.

*Stanislaus Tęczyński, capitaneus Lublinensis et Belzensis,  
Alberto in Prussia duci  
pro Laurentio [Discordia], concionatore verbi.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

*Illustrissime Princeps etc.*

Post discessum hinc Celsitudinis Vestrae manserat hic Venerabilis Dominus Laurencius,<sup>1)</sup> verbi Dei minister, cum ob alias plures causas, tum ob eam potissimum, quod eo tempore stipendum pro serviciis suis a Sacra Regia Maiestate ea condicione obtinuit, ut extra Regnum Suae Maiestatis maneat. Quam ob rem Vestram Illustrissimam Celsitudinem obsecro, ne hec ipsius mora Vestram Illustrissimam Celsitudinem offendat, tum ut eo sacerdocio, quod illi iam per Celsitudinem Vestram designatum est, provideri queat, ubi quiete studiis operam dare et vocationi suae respondere possit. Est enim homo eruditione non contemnenda, vitae integritate et probitate conspicuus. Quem ut eo maiore gratia Illustrissima Celsitudo Vestra prosequi dignaretur, vehementer rogo. Id,

quod ego Vestrae Illustrissimae Celsitudini perpetuis obsequiis mereri studebo. Ille Deum deprecari sataget. Tandem me ac obsequia mea perpetua Vestrae Illustrissimae Celsitudini iterum atque iterum commendabo. Datum Gedani, IX Augusti, anno Domini 1552.

a) Vestre Illustrissime Celsitudinis  
perpetuum mancipium  
Stanislaus Comes in Thanczin, Lublinensis  
et Belzensis Capitaneus.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria*.

1) Laurentius *Discordia (Niegzoda), Przasnisiensis.*

N. 1351.

Gedani, 9.VIII.1552.

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,  
Alberto in Prussia duci  
Laurentium [Discordiam], concionatorem verbi, commendat.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.382.

Illustrissime Princeps etc.

Dominus Laurentius iste, cui de paroecia prospicere dignata est Illustritas Vestra, cum esset apud Sacram Maiestatem Regiam, Dominum nostrum clementissimum, concionator, mihi probe notus fuit, atque etiam nunc est. Is peciit a me, ut se Illustritati Vestrae commendarem. Quoniam vero homo, meo quidem iudicio, sacrarum literarum peritus est, in quarum<sup>a)</sup> cognitione multum aetatis suae contrivisse se dicit, et dum apud nos esset proprius, morum integritas et vitae probitas eius a multis coram me fuit praedicata, quandoquidem ipse id a me flagitabat, existimavi facturum me ipsi operae pretium, si eum in gratiam Illustritatis Vestrae ponerem atque hisce meis illi insinuarem, ut eum, tanquam sacerdotem egenum, a me commendatum habere dignaretur gratiaque sua complecti perget. Quod ut facere velit vel meae intercessionis commendationisque huius causa, etiam atque etiam vehementer oro. Precabitur ille pro incolumitate, foelici statu et optatissimis successibus Illustritatis Vestrae, assidue ad Deum Optimum Maximum preces fundendo. Ego vero, posteaquam commendationem istam pro eo factam pondus aliquod habuisse cognovero, pro virili vicissim mereri id servitiis meis Illustritati Vestrae contendam... Datum Gedani, IX Augusti, anno Domini MDLII.

Eiusdem Illustritatis Vestrae

b) servitor

Ioannes Comes in Tarnow subscripsit.<sup>c)</sup>

a) in ms. quorum

b)-c) *manu propria*.

Gedani, 13.VIII.1552.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*

*Alberto in Prussia duci*

*de negotio annui stipendii duci persolvendi; de regundis finibus inter  
Ducatus Masoviae et Prussiae; de possessione castri Drahim; in  
annexis exemplis litterarum nova, ab oratore regis Poloniae ad re-  
gem Romanorum [Ferdinandum I] missa.*

*Sigill.*

(Annexa: I. exerpta ex litteris oratoris regis Poloniae ad regem Ro-  
manorum, s.d.; II. oratio oratoris regis Galliae ad Ordines Germaniae,  
de 3.IV [1552]; III. responsum imperatoris ad Ordines Germaniae, s.d.;  
IV. ex litteris Ioannis de Fresse ad cancellarium archiepiscopi Mo-  
guntini).

H B A, B 2, K.382.

Illustrissime et Excellentissime Princeps etc.

Existimo literas meas Illustrissimae Celsitudini Vestrae iam redditas esse, quibus me excusavi, quod illi non valedixerim, et cum dolorem meum, quem ex ea re caepi, significavi, tum etiam causas eius officii non ex industria, sed casu quodam neglecti exposui. Quas ut Illustritas Vestra, pro sua erga me clementia, in meliorem partem vertat meamque excusationem benigne complectatur, vehementer etiam atque etiam peto.

Quod ad quatuor millia aureorum Illustritati Vestrae in singulos annos a Maiestate Regia pendi solita attinet, sciat Illustritas Vestra Maiestatem Regiam, accersito ad sese Domino Palatino Chelmensi et totius Prussiae Thesaurario,<sup>1)</sup> quesivisse diligenter, numquid deductis usitatis expensis reliqua esse posset tanta summa, quae quotannis Illustritati Vestrae solveretur. Qui cum retulisset rationem tum eius pecuniae, quae quotannis in pannum, Scythis in Lithwaniam mitti solitum, exponitur, tum stipendiorum, quae praesidio arcis solvi solent, praeterea sumptuum, qui ad aedificationem arcis conferuntur, animadversum esse non solere superesse quatuor integra florenorum millia, praesertim cum in singulos annos a Maiestate Regia crebrae schedulae ad coemendas illi res nonnullas Gedanimittantur. Ex quo fieret, ut Illustritas Vestra multo minus de ea pecuniae summa Malborgiae, quam in Thesauro Maiestatis Regiae, certior redderetur.

Quod ad regundos fines attinet, cum ea de re cum Reverendissimo Domino Episcopo Ploczensi<sup>2)</sup> essem locutus, retulit mihi sibi cum Illustritate Vestra convenisse, ut ad id negocium exequendum postridie festi Sancti Bartolomaei praesto esset. Caeterum cum Sacra Regia Maiestas vixdum id temporis iter sit ingressura, non convenire, ut Domini a Sua Maiestate, illa adhuc hic manente, discedant. Nihilominus cum Illustritas Vestra eo tempore designando id caverit, ne, si tardius id fieret, temperatibus et humiditatibus impediretur, dabo operam, ut vel ipse Dominus Episcopus Ploczensis, una cum Domino Palatino,<sup>3)</sup> quam primum fieri poterit, in tempore ea de causa descendat, vel alias quispiam ad eam rem idoneus in eius locum a Sacra Maiestate Regia substituatur.

De castro autem Drahim, de quo in aliis literis Illustritas Vestra scripsit, sic habeat. Mortuo Domino Andrea de Gorka, Castelano<sup>2)</sup> Posnaniensi et Maioris Poloniae Capitaneo Generali, Sacram Maiestatem Re-

giam misisse Cristopherum Conarski, ut sicuti caeterorum oppidorum et castrorum, ita huius quoque illius nomine possessionem acciperet, putans etiam illud ad capitaneatum praedictum pertinere. Cumque Christopherus Conarski dicto Maiestatis Regiae obediens esset et huius arcis possessionem accipere vellet, ostendisse praesentem illius tenutarium, Ioachimum, se satis firmum privilegium a Sacrae Maiestatis Regiae parente habere, quod non modo ipsum, sed etiam eius liberos in possessione illius castri ad extrema vitae tempora conservaret. Cum itaque Sacra Maiestas Regia vix putet fieri posse, ut tantum aetatis huic Marco Ramel suppeterem possit, ut etiam post liberos moderni tenutarii possessionem eius castri adipiscatur, supervacaneum esse arbitratur id illi concedere, quod ei minime sit profuturum. Alioqui nisi modernus tenutarius eiusmodi haberet privilegium, non committeret Sacra Maiestas Regia, quin Illustritatis Vestrae petitioni morem gereret...

Datum Gedani, XIIII die Augusti, anno Domini MDLII.

Praeterea nova, quae ab Oratore Maiestatis Regiae, ad Regem Romanorum allegato, missa sunt, Illustritati Vestrae, pro mea erga illam observantia, mitto. Ex quibus, quid in illis aulis agatur atque tractetur, praeterea quaedam in rem Illustritatis Vestrae facta, cognoscet.

a) *Vestre Illustrissime Celsitudinis*

*servitor perpetuus*

*Ioannes Oczieski manu sua.<sup>b)</sup>*

a)-b) *manu propria.*

1) *Stanislaus Kostka.*

2) *Andreas Noskowski.*

3) *Felix Srzeniski.*

z) *sic in ms.*

#### *Annexum I:*

Descriptum ex literis Oratoris Sacrae Regiae Maiestatis ad Regem Romanorum.

Regia Romanorum Maiestas agere hactenus cum Caesare et foederatis Principibus non praetermittit, si qua aequitate res ad ocium et concordiam deduci posset. Responsum autem Caesaris ad postulata Principe, quae ex Comitiis Patawiensibus<sup>1)</sup> missa ad eum erant, et nonnulla alia, quae acta illic sunt, magna cura et diligentia a me conquisita ad Maiestatem Vestram mitto.

Caesar iterum Aenipontem, unde non multo ante profugere coactus erat, stipiator nunc milibus quam ante, rediit. Comparat se, quantum potest, copias contrahit, milites veteranos ex Hispania et ex Italia accersit contra Germanos. Ac nisi res aliquibus conditionibus deducta ad concordiam fuerit, bellum grave Germaniae impendet. Narrant nonnulli se audisse, cum diceret Caesar, sibi aut vivo aut mortuo in Germania esse manendum. Vires tamen corporis tanto animo desunt, debilitatio atque exhausto assidua aegritudine corpore et ad sustinendas tanti belli moles minime apto. Quae res etiam adversariis animos addit.

Albertus Marchio ditionem totam Magistri Germanici,<sup>2)</sup> adversarii Maiestatis Vestrae, ferro et incendio vastavit, bona et facultates eius omnes diripuit, ipsum etiam in fugam compulit.

Mauricius Dux nondum exercitum dimisit. Habet in armis X millia peditum, duo equitum, sed egens rebus omnibus magnitudineque obrutus aeris alieni, videtur desperatione meliorum rerum extrema quaeque tentaturus esse.

1) *alias Passavia.*

2) *Wolfgangus Schutzbar.*

*Annexum II.*

Oratoris<sup>1)</sup> Regis Gallorum Oratio, apud Principes atque Ordines Germaniae tercia Iunii habita.

Neminem vestrum, Potentissimi, Illustrissimi et Amplissimi Principes aliique Sacrosanti Romani Imperii Ordines, ignorare arbitror tantam, multo antequam Francorum nomen innotuisset, inter Gallos atque Germanos morum et virtus similitudinem atque ex ea amiciciam intercessisse, ut Romani maiores vestros Germanos, id est fratres, Gallorum appellaverint. Postquam vero Franci sedes suas in Gallia fixerant, commune utraque gens Imperium et eosdem Principes habuit. Translato demum, ut est rerum omnium vicissitudo, in Germanos Imperii nomine, Saxonici Imperatores, et quicunque eis ex antiqua illa Germanorum stirpe successerunt, quoniam et genus suum a Francorum Regibus ducebant et acceptam ab illis Imperii dignitatem referebant, in hoc uno prestantissimi illi heroes in primis elaborarunt, ut quemadmodum sanguinis necessitudine, ita perpetuae pacis et amiciciae vinculo Germania Gallis coniungeretur.

Quae res, a naturali et ingenito utriusque genti amore mutuo profecta, ita utilitate et rerum successu coaluit, ut Philippus Augustus Francorum Rex foedus illud antiquum, quod pro nimia vetustate exoleverat, literis aureis perscribi et in sanctiore aerario maxima ceremonia reponi iusserit, atque id certe merito, cum tanta foelicitate conspirantibus et consentientibus harum duarum nationum studiis, utriusque res floruerint, ut Hungaria, Polonia, Bohemia, Dacia, ipsa denique Italia et omnes circumiacentes provinciae, ab Imperio leges accipere cogerentur. Francorum autem Reges, qui vere pietatis studio incensi, ubicunque Saracenorum aut Turcarum arma concrepuerant, eo statim cum maximis exercitibus contendebant, tam bene et fortiter eodem tempore Rempublicam gesserint, ut Hierosolymitanum et Antiochenum Imperium in Asia, in Europa vero Constantinopolitanum et in Africa Tunetense, quaeque Cartaginensis dicionis fuerant, fidei nostrae hostibus erupta sibi et familiis suis vindicarent. Sequuti sunt eos nothi et insititi quidam Imperatores, quos ut avaricia et sordes a Gallis paulatim disiunxerunt, ita eorum socordia adeo multa Reipublicae Christianae vulnera inflicta sunt, ut ab eorum commemoratione animus abhorreat.

Dedit post degeneres illos et nihil minus, quam Germanos Imperatores, Luxemburgensis Familia insigni virtute Principes, sub quorum Imperio, veluti ex diuturno morbo recreata Germania, paulatim se erigere et caput effere cepit. Horum autem quam propensa ad conservandam cum Gallis amiciciam voluntas fuerit, Caroli Quarti pater<sup>2)</sup> satis ostendit, qui pro illorum Rege fortiter pugnans occubuit. Austriaci vero, atque in iis Albertus Primus, nec minis a Pontificibus Romanis, nec precibus et premiis impelli potuerunt, ut Galliam bello lacer esserent. Quae omnia a me ideo commemorata sunt, ut Potentissimi et Illustrissimi Principis Caroli Quinti Caesaris ministros, qui non dissensiones solum et odia inter has duas prestantissimas nationes quesiverunt, sed artibus etiam suis et calliditate perfecerunt, ut indicta causa Rex Franciscus, optimus et excellentissimus Princeps, hostis iudicaretur, ut eos, inquam, cum id egerint, cum utriusque genti male et Reipublicae Christianae inutiliter consuluisse, tum medius Fidius ex aliorum incommodis commoda illos sua comparare voluisse intelligatis.

Nam integra et salva manente inter has duas nationes amicitia, quam difficile illis fuerit Regnum illud suum, aut tyrannidem potius, labefactata libertate vestra stabilire, vel ex hoc uno clarissime animadverti potest,

quod nunc, quamvis frendentes<sup>2)</sup> et inviti, armorum tamen Gallicorum metu aliquid se de introducto ab Hispanis iugo remissuros polliceantur. Hii igitur, pace a Turca non precibus tantum, sed tributo etiam mendicata, factiones primum in Germania, nunc religionis, nunc obedientiae pretextu, excitaverunt, bellum deinde Germanorum viribus contra Germanos gesserunt, captivis duobus Principibus, Saxone<sup>3)</sup> et Hesso,<sup>4)</sup> quo iure ipsi viderint, omnes, quorum nomen modo inter protestantes auditum esset, fortunis everterunt. Imperatae sunt Principibus, civitatibus ingentes pecuniae, presidia Hispanorum imposta, nudata omnia apparatus bellico armentaria, mutati magistratus, societas sublatae, mille exactionum nomina excogitata, patefacta fiscali in omnia omnium bona grassandi via, sigillum Imperii, iudicia Camerae, suffragiorum ius et libertas in Conventibus, omnia unius Atrebatenis<sup>5)</sup> arbitrio, ne dicam libidini, permissa. Excarnificati, qui apud externos Principes servoendo aliquod egestati suea presidium quaerebant, proscripti prestantes aliquot viri, et publice denunciatum magno auri pondere eorum capita repensum iri, quomodocunque eis necem aliquis attulisset. Abducti ad libidinem a complexu parentum liberi, cedes impune factae, direptae domus, spoliata templa, dirutae urbes, deformata et, ut tempori convenire visum est, detorta reliqua odiis, unum denique tot ambagibus actum atque quesitum, ut permixtis et confusis Imperii legibus, coacto aut variis pollicitacionibus inducto Serenissimo Romanorum Rege, compulsis metu Sacri Romani Imperii Electoribus, Princeps tandem Hispaniarum Philippus Caesar designaretur.

Cui non, per deos immortales, nisi plane stupido et excordi, exoptanda fuit mors in tantis miseriis? aut quem, nisi natura servum et immunitate barbarum, haec non commoverunt? Et miramur repertos esse Principes, atque in iis Illustrissimum et Fortissimum Ducem Mauricium, qui vel vitae periculo patriae suaee libertatem vendicare voluerint. Cum ergo ii viribus se Caesari impares fore et Caesarianis cernerent, ad Henrici Secundi Francorum Regis Christianissimi opem et auxilium confugerunt. Ipse autem, obliterata omnium iniuriarum memoria, non auxilium modo eis, sed ipsum se etiam, facultates suas et omnia denique, quae haberet in potestate, et benignissime obtulit et prestitit constans. Ictum est inter eius Maiestatem et Principes foedus, in quo hoc diserte cautum est, ut eis cum hoste neque pacem, neque inducias, sine expresso Regis consensu pacisci liceat. Ab eo foedere discedere cum Illustrissimus Dux Mauricius neque velit neque possit, et tamen cum patriae suaee tranquillitati et ocio consulere, tum Potentissimi Romanorum Regis precibus obsequi cupiat, literis nuper a Rege Christianissimo petiit, ut quae Maiestatis Suae de pace esset sententia, hic per me, Legatum suum, patefacret. In quo etsi nescio, quomodo haud satis magnam et magnitudinis beneficii et dignitatis suaee rationem haberi Rex Christianissimus videt et consentaneum fuisse iudicat, ut coram eo non hic de re ad ipsius Maiestatem pertinente ageretur, fecit tamen, quod ab eo postulatum est, non gravate, quippe qui publicam utilitatem rebus omnibus anteponat et Illustrissimo Duci Mauricio, foederato et amico charissimo, nihil denegare velit.

Si igitur sanata non verbis, quae parum prodesse tocies comperimus, sed re ipsa haec, quae supra attigi Imperii vulnera, datamque esse operam, ne posthac maiore omnium malo recrudescant, viderit, si Principes captivi (iis tamen, quae in foedere comprehensa sunt, conditionibus) dimittantur, si et communiter antiqua Galliae cum Imperio foedera et singulatim recentia cum Principibus confirmantur, et provideatur, ut ea

inviolata perpetuo maneant, non solum paci, potentibus Imperii Ordinibus, consensurus est, sed maximas etiam Deo Optimo Maximo acturus gratias, quod haec ope et auxilio suo acciderint.

Quod ad privatas multarum rerum, quas Caesar per vim occupat, controversias attinet, hoc unum respondet Caesarem ei nulla iusta de causa bellum intulisse, aequumque esse propterea, ut, a quo iniuria profecta est, ab eo conditiones proponantur, quibus et ea ipsa iniuria, et quod interim acceptum est in bello detrimenti, sarciri possit. In quo tamen ipsius Maiestas (etsi virium suarum sibi conscientia et de belli eventu haud dubia) sic se geret, ut publicae quieti et ocio privata commoda eam posthabuisse, et cum omnibus, qui hic adsunt, Imperii Ordinibus, tum maxime Illustrissimo Duci Mauricio, gratificatam esse intelligent.

1) *Ioannes de Fresse, episcopus Baionensis.*

4) *Philippus.*

2) *Sigismundus.*

5) *Antonius Perrenot de Granvella.*

3) *Ioannes Fridericus.*

### *Annexum III:*

#### *Responsum Caesareae Maiestatis.*

Sacra Caesarea et Catholica Maiestas Principum Electorum atque Ordinum Imperii, Pataviae congregatorum, responsum ad literas suas quinta Iulii die datum accepit. Ad haec etiam a Serenissimo Romanorum Rege, fratre suo, ordine omnia, ut acta sunt Pataviae, audivit eaque abunde intellexit. Et quamvis idem Serenissimus Romanorum Rex Caesaream Maiestatem fraterne rogaverit, idque etiam multis modis Caesareae Maiestati persuadere tentaverit, quo Patavienses illos articulos omnes et conditiones pacis, ad Suam Maiestatem transmissas, sine ulla controversia, aut cunctatione recuperet in easque consentiret, tamen quia Sua Maiestas Caesarea neque honestum neque utile id Romano Imperio futurum putavit, tum etiam quia nonnullas evidentes causas, quas ipsi Serenissimo fratri suo, Romanorum Regi, ordine declaravit, obstarre vidit, quominus conditiones ipsae susciperentur, aut per Suam Caesaream Maiestatem approbarentur, non potuit ea in re neque ipsius Serenissimi fratris sui petitioni, neque Ordinum Imperii voluntati satisfacere. Quodque nonnulli Status Imperii tumultu hoc bellico, sine causa subito exorto, gravissime sunt offensi magna que damna et calamitates passi, Maiestas Sua dolet plurimum, non tamen penes se aliquam eius rei culpam residere animadvertisit. Ac neque meminit se cuiquam quicquam pollicitam esse aut spem aliquam eiusmodi fecisse, qua frustratus calamitatem extremam subiisset vel exilium passus esset. Sed cum primum tumultus ille fuisse exortus, scripsisse ad quosdam Principes Imperii atque Status monendo, ut, quantum in eis esset, bellum intestinum sedare curarent. Sed etiam quantum in se situm esset, non defuturum publicae quieti et tranquillitati promittens, facturamque libentissime et concessuram, quod ad mutuam pacem, concordiam, salutem et dignitatem Imperii pertinere. Tamen adhortationes illas Suae Maiestatis Caesareae aut promissiones hac in re non eiusmodi fuisse, neque eo trahi posse, ut omnia illa, quaecunque Suae Maiestati proponerentur aut ab ea postularentur, concedere seu approbare teneretur, cum praesertim Suae Maiestati honestum illud ac necessarium videatur, ut res atque causae, ad omnes Status Imperii pertinentes, ab ipsis Statibus diudicarentur ac perpenderentur, ob idque ad proxime futura Comitia Imperii ac Illustrissimarum Suarum Celsitudinum conventum illa differri. Ubi tandem Sua Maiestas omnibus, qui iustum querendi causam habebunt, ita se clementem praestabit, ut nemo non apertissime cognoscere cogatur Suam Maiestatem Caesaream

nihil magis querere aut optare, quam ut cuivis, sine tamen aliorum incommodo et detimento, satisfacere possit.

Neque etiam debet Maiestati Suae Caesareae imputari, quod querelis, adversum se publice factis de nonnullis gravaminibus, respondere distulerit, neque prospexerit, quo pacto illa gravamina sisti aut tolli possent, cum ad hanc usque diem nemo ea de re Maiestatem Suam convenerit, nemo conquestus apud Maiestatem Suam sit aut incommoda, molestias et gravamina ulla indicarit. Quod tamen fieri aequum fuit prius, quam ea de re publice apud Ordines ageretur. Itaque Maiestas Sua intelligere non potuit, cuiusmodi illa gravamina essent, quae sibi imputarentur, tantoque minus etiam Commissarios suos, quos ad Dietam Pataviensem ablegavit, informare de iis potuit, ut contra illa apud Imperii Ordines responderent. Sed brevi tamen, ut supra dictum est, quemadmodum Sua Maiestate dignum erit, ipsamet id factura atque omnibus iis responsura est.

Quare arbitratur Sua Maiestas atque plane confidit omnem eiusmodi de se suspicionem, si qua est, apud Imperii Ordines sublatam<sup>z)</sup> iri, neque iure sibi aliquid imputari ob id posse, quod ea, quae nonnullis videbantur, accipere aut approbare noluerit, cum potius ipsi hortandi essent, ut petitiones suas ad aequitatem et honestatem dirigerent, neque ea, quae in animis suis proposuerunt, per fas vel nefas obtinere contenderent, aut sibi concedi id vel indulgeri eam ob rem necesse esse existimarent. Praesertim cum ipsi Status hactenus apertissime cognoverunt, quod Caesarea Maiestas tandiu arma defensionis causa assumere distulerit ea tantummodo de causa, quod nulla vi, quamvis res ipsa id postulare videatur, uti voluerit. Quia tamen uti adhuc non vult, dummodo negotium hoc bonis aliquibus iustisque et honestis conditionibus a Statibus Imperii componi possit. Iam tamen Maiestas Caesarea, quod nullum summae bonitatis et patientiae suae fructum sentit, sese ad defensionem apparavit.

Quamvis utique Maiestas Caesarea, pro singulari suo erga pacem et ociun publicum studio, adhuc omnia tentare et experiri statuit, quae (quantum honeste fieri ac concedi a Sua Maiestate poterint) ad praesentem tumultum sedandum videbuntur pertinere.

Proinde Maiestas Sua Caesarea diligenterissime adhuc et clementissime omnes Imperii Ordines et Status hortatur ab eisque petit, ut magnitudinem eius rei secum perpendant, acceptaque a Serenissimo Romano-Rum Rege, fratre suo, informatione, quam Sua Maiestas Caesareae Maiestatis nomine ipsis datura est, omne studium adhibeant et diligentiam, ut in componendo tumultu hoc pars adversa id, quod aequum et honestum est, admittat eoque sit contenta, ac praecipue fidei suae, qua Caesareae Maiestati et Imperio obligati sunt, tum etiam patriae suae, quae turpiter laceratur, sint memores. Id quidem tum ipsis Statibus laudi, honori atque utilitati futurum est, tum etiam Maiestati Caesareae summe gratum.

<sup>z)</sup> sic in ms.

*Annexum IV: Ioannes de Fresse ad cancellarium archiepiscopi Moguntini.*

Exemplum literarum Oratoris Regis Gallorum, discedentis vel fugientis Patavia.

Vir Clarissime.

Puto me heri amice, fraterne, et ut christianum hominem decet, tibi fontes horum tumultuum ostendisse, a quibus remedii sanari possent.

Homines malevoli et imperiti efferant, quod volent, in vulgus, res ipsa ostendit nos tot laboribus, periculis et impensis hoc unum quesivisse, ut, constituta libertate Germaniae et renovata veteri amicitia cum Illustrissimis Imperii Ordinibus, secure posthac de rebus, ad universum Christianum Orbem pertinentibus, deliberaremus. Quorum successum hactenus inexplicabilis hostium nostrorum ambitio impedivit. Deum Optimum Maximum precor, ut eo consilia nostra dirigat, neque vos tam cecos esse patiatur, ut hoc incendium ruina vestra restinguatis. Quod ad me attinet, si hic eam, quam merito sperabam, nostri et voluntatis nostrae rationem haberi vidi sem, non praetermissem<sup>a)</sup> omnia ea in medium proferre, quae salutaria esse tam bene forsan, quam quisquam alius, harum rerum usu didici. Sed cum id agi videam, ut non solum nos falsis rumoribus homines quidam in odium adducant, sed siccarios etiam submittant, qui nos vel in ipsis hospitorum nostrorum penetralibus iugulent, saluti meae, qua ratione possum, consulendum putavi. Tibi tamen aliisque omnibus, qui hic sunt, cogitandum relinquo, si quid mihi, sive communi omnium Germanorum perfidie nota, accidere possit. Vale.

Tuus Ioannes Frax, Episcopus Balsoneensis.  
Clarissimo Viro, Reverendissimi Domini  
Archiepiscopi Maguntini<sup>1)</sup> Cancellario.

a) in ms. praetermissem

1) Sebastianus ab Heusenstamm.

N. 1353.

Gedani, 13.VIII.1552.

*Lucas et Andreas a Górką, castellanidae Posnanienses,  
Alberto in Prussia duci  
nobilem Cherubinum Kosmaczewski commandant, ut in causa de commu-  
tatione agrorum et bonorum ius suum successorium et hereditarium  
servatum habeat.*

Sigill.

(Annexum: Supplex libellus Cherubini Kosmaczewski)  
H B A, B 2, K.382.

N. 1354.

Gedani, 17.VIII.1552.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
nova, in aulam allata, mittit; se una cum rege brevi ducem Regiomonti  
visurum esse significat.*

Sigill.

(Annexum: Novitates ex Transilvania et Hungaria)  
H B A, B 2, K.382.

Illustrissime et Excellentissime Princeps etc.

Quod Celsitudo Vestra se non modo boni consuluisse, verum etiam benigne complexam esse excusationem meam per literas significavit,

longe gratissimum mihi accidisse existimet. Quandoquidem Celsitudo Vestra intelligere potuit, quam ex animo illi me excusatum cupiverim et quam aperte atque ingenue rem, sicuti se habuit, Celsitudini Vestrae perscripserim. Quod autem grati animi significationem se mihi exhibituram pollicetur, facit pro sua innata benignitate et clementia, cum quidem ego neque minimam partem beneficiorum Celsitudinis Vestrae, quae in me liberaliter contulit, obsequiis meis videar assecutus. Verum tamen contendam, ut Celsitudo Vestra deinceps etiam agnoscat in me non modo idem serviendi Celsitudini Vestrae studium semper permanere, verum etiam indies, quoad fieri potest, crescere atque augeri.

Mitto autem nunc Celsitudini Vestrae nova Maiestati Regiae prescripta, quae quam tristia sint et quantum terrorem, ne dicam perniciem, secum Orbi Christiano afferant, Celsitudo Vestra, posteaquam legerit, intelliget. Unde tamen Celsitudini Vestrae sint missa, ne patefaciat.

Praeterea tacitus rumor huc pervenit inter Caesaream Maiestatem et Principes foederatos pacem et concordiam certis conditionibus per haec tempora esse constitutam. Quod etsi ad Maiestatem Regiam scriptum non est, tamen ad quandam ex Consiliariis pro certo allatum, nolui committere, quin Celsitudini Vestrae tacite significarem.

Postremo sciat Celsitudo Vestra fore fortassis, ut Sacra Maiestas Regia illam brevi Knispergae visat. Quamvis enim id iam ante non dubitem ex aliis Celsitudinem Vestram cognovisse, tamen pro mea erga illam observantia silentio praeterire non potui. Prima enim Septembris Gedano discessura esse existimatur, secunda Septembris conventum Malborgae celebratura, nona Septembris Elbingae futura, undecima autem vel duodecima Knispergae Celsitudinem Vestram revisura... Datum Gedani, XVII Augusti, anno Domini MDLII.

a) *Vestre Illustrissime Celsitudinis servitor perpetuus*  
Ioannes Oczieski manu sua.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria.*

#### *Annexum: Nova ex Transilvania et Hungaria in aulam regiam allata:*

Arx Thermesiensis<sup>1)</sup> die Sancti Iacobi Apostoli a Turcis capta est. Stephanus Lossonczi et Magister de Campo Iunior Petrus, una cum servitoribus et Hispanis, ad unum caesi sunt. Pedites quoque caeteri, exceptis pueris, etiam mulieres ibi ad unum perierunt. Lippa civitas, simul cum arce, et Solimos per Magistrum de Campo maiorem ob metum Turcarum eversae, combustae et in solitudinem redactae sunt ac vacuae relictae. Iam ad Transsilvaniam usque et Becz Beczkierek<sup>2)</sup> nihil aliud quam vastitas et solitudo existit, ubi ante annum plus quam centum millia hominum in summis deliciis habitare dinoscebantur. Nobilitas et e plebe optimus quisque fugiunt et sub Mukacz ac partibus superioribus domicilium sibi conquerunt. Quin potius dicitur plebem promiscuam, sedibus pulsam et tantis malis percitam, contra nobilitatem insurrexisse et hostiliter in nobiles obvios passim animadvertere, tanquam omnis tumultus praesentis et furoris bellici seminaria. Turca Gyuolam<sup>3)</sup> arcem obsedit, qua intercepta in Varadinum et Transylvaniam tendere praedicatur. Haczmat Passa cum 40 Zanczakis, Beglerbego Romaniae et aliis 12 Begiis ac Kazon Bassa, non longe a Themesvar castra metatus erat.

Varadinum tempestas et turbo repentinus proximis diebus incredibiliter concussit, plus quam trecentae domus disiectae, Bernardinorum

monachorum templum Sancti Spiritus, cum turri et organo, collapsum est. Item templum Sanctae Crucis in Theatro corruit. Domus fratris Georgii, quam inhabitabat, tota tempestatis vi solo aequata est. Breviter, paucae domus in platea maiore salvae relictae sunt.

Interim Bassa Budensis Vesprimum, Leweld, Kapus, Wiwar,<sup>4)</sup> Suran, Dregel, Gyarmath, Saag, Hollokow, Bwyak, Zechen, Diosgiewr et Phylek arces occupavit, Rimazombat et Lossonez cum Pertino combussit, estque nunc sub Agria, cui occupandae dies et noctes acerrime instat.

Rex Ferdinandus pollicitus fuerat per literas suas ad festum Sancti Laurentii sese in persona sua cum gentibus in Debreczen oppido affuturum. Alioqui id cederet ei, cum iactura Regiae Celsitudinis. Haberentque Hungari libertatem cogitandi ea, quae ad conservationem publicam spectare iudicarentur, si venire negligenter. Qui tamen neque venit, neque misit hactenus. Quid deinceps emergat, in manu Dei est. In Transsilvania duo Vaivodae, Moldaviae<sup>5)</sup> et Transalpinae,<sup>6)</sup> Tartarorum item magna manus cum sex millibus Turcarum grassantur.

1) Temesvar.

4) Ujvár.

2) Bács-Becskerek.

5) Stephanus VI Rareš.

3) Gyula.

6) i.e. Valachiae: Mircea Ciobanul.

N. 1355.

Gedani, 17.VIII.1552.

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus, Alberto in Prussia duci  
de arce Temesvar in Transilvania a Turcis expugnata et de periculo  
inde toti Hungariae ac Christianitati imminentie.*

Sigill.

H B A, B 2, K.382.

Illustrissime Princeps etc.

Cum nihil habeam, quod scribam ad Illustritatem Vestram, quo testatum facerem propensum meum studium ac observantiam erga Illustritatem Vestram, nihilominus hasce meas dandas ad Illustritatem Vestram duxi, quibus et valetudinem viserem et fausta prosperaque omnia precerar Illustritati Vestrae. Porro caelare nolo Illustritatem Vestram triste admodum nuntium huc ad Sacram Maiestatem Regiam allatum esse, quod scilicet proxime ipso die Sancti Iacobi Apostoli festo munitissima arx illa Hungariae Themeschwar, quae diu obsidione praemebatur, a Turcis est iam expugnata et vi capta, ubi tanta caedes, tanta crudelitas facta est, ut nemo vivus in arce relinquetur, pueris solummodo exceptis, in quos saevitum non est. Res sane dolenda est, nam ea arx, meo quidem iudicio, veluti hostium quoddam et porta Regni Hungariae fuit. Quae cum iam in potestatem hostis pervenit, actum iam esse non de Transylvania modo, verum de tota Hungaria videtur. Nobis quoque quid metuendum sit quodque periculum immineat, Illustritas Vestra, pro pru-

dentia sua singulari, facile perspicit, nisi nos Deus custodierit. Cuius divinae voluntati commissa sunt omnia... Datum Gedani, XVII Augusti, anno Domini MDLII.

Eiusdem Illustritatis Vestrae

<sup>a)</sup> servitor

Ioannes Comes in Tarnow subscrispsit.<sup>b)</sup>

<sup>a)-b)</sup> manu propria.

N. 1356.

Gedani, 18.VIII.1552.

*Stanislaus Kiežgajło, pocillator Magni Ducatus Lithuaniae,  
Alberto in Prussia duci  
pro munificentia et clementia, Laurentio [Discordia] a Przasnysz, concionatori verbi, a se duci commendato, demonstrata, gratias agit.*

Sigill.

H B A, B 2, K.382.

Illustrissime Princeps etc.

Illustrissime Princeps, intellexi ex litteris Illustrissimae Dominationis Vestrae ad me scriptis, qua munificentia et clementia Laurentium a Prassnisch, verbi divini concionatorem, cum propter professionem doctrinae evangelicae et eruditionem ipsius vitaenque integritatem, tum propter commendationem quoque meam, prosequuta est. Pro qua summa gratia et clementia Illustrissimae Dominationi Vestrae maximas ago gratias, quod et litteras suas, tantae gratiae et clementiae plenas, ad me dare et petitionis ac commendationis meae rationem habere non dignata sit. Promitto itaque me vicissim omni obsequiorum meorum ac studiorum genere ad quevis iussa et imperata Illustrissimae Dominationis Vestrae paratissimum fore... Datae Gedani, 18 Augusti, anno Domini 1552.

<sup>a)</sup> Eiusdem Illustrissime Dominationis Vesture  
servitor minimus

Stanislaus Kiezgal, Pocillator Magni Ducatus Lithuaniae etc.  
manu sua subscrispsit.<sup>b)</sup>

<sup>a)-b)</sup> manu propria.

N. 1357.

Gedani, 29.VIII.1552.

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,  
Alberto in Prussia duci  
pro intercessione apud regem pro se facta gratias agit et summam mille  
aureorum mutuo sibi dandam petit.*

Sigill.

(Adest etiam aliud exemplum cum data 22.VIII)

H B A, B 2, K.382.

N. 1358.

Wiśnów, 5.IX.1552.

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,  
Alberto in Prussia duci  
pro hospitalitate sibi a capitaneo Soldaviensi (Dzialdoviensi) exhibita  
gratias agit; veterem servitorem suum, Georgium Landzgrański, nunc  
in servitio ducis existentem, commendat, ut agrum sibi a duce ad  
vitam donatum in perpetuum obtinere possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1359.

Soldaviae, 11.IX.1552.

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,  
Alberto in Prussia duci  
intercessionem ducis apud regem implorat, ut ei capitaneatus aliquis  
in Russia vacaturus conferatur.  
(Hic in Archivo iacet etiam schedula: Nomina Rothmagistrorum...)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

*Illustrissime Princeps etc.*

Postquam Serenissimo Principi Sigismundo Regi Poloniae piae memoriae, nihilominus Eius Maiestatis Regiae filio Sigismundo, Dominis meis clementissimis, Reique Publicae Regni Poloniae, officiis meis sedulis, ut subditum ac ministrum fidelem ac diligentem decet (absit arrogantia dicto) sepius profuerim, id quod noticie multorum impressum, nec apud plerosque obscura fama, sed a Eius Maiestate Regia, Domino meo clementissimo, nullis hucusque dationibus vel condicionibus, ut ita dicam, sum provisus. Iis igitur officiis eorum Regiis Maiestatibus Reique Publicae exhibitis fretus, Eius Regiam Maiestatem obnixe humiliimeque supplex oravi, ut Eius Regia Maiestas me, subditum ac servitorem suum fidelem, digno aliquo capitaneatu aliove officio clementer providere ac gratificare dignaretur. In quas supplicationes meas Eius Regia Maiestas spem quidem clementissimae provisionis dare dignata, re autem ipsa hucusque nihil eventus nec emolumenti quidpiam hinc emanari sentio. Regia Maiestas enim id respondit sibi nihil nunc superesse, nec quidquam condicionis vacare, sed quam primum vacaverit, pollicita est Regia Maiestas me ea se dignaturam.

Quapropter Illustratatem Vestram humilime oro, dignetur Illustritas Vesta, Dominus meus clementissimus, ac benefactor gratus, apud Eius Regiam Maiestatem promotionibus suis gratiosis intercedere, ut Eius Regia Maiestas, iuxta clementissimas promissiones suas, aliquo digno capitaneatus officio, quam primum in Russia vacaturo, providere ac dignare non intermittat, quo Eius Maiestati Regiae Vestræque Illustrati, Dominis meis clementissimis, eo melius honestiusque inservire possim. Cumque in promissionibus ac spe data a Rege, Domino meo clementissimo, non satis est, nam si forte aliiquid in Russia tale vacaverit, me absente, cum sim in obsequiis ac servitiis Eius Regiae Maiestatis Reique

Publicae, non desunt protinus aulae Eius Regiae Maiestatis, qui me in his antevertant. Illustritatem Vestram igitur quam possum humilime oro, dignetur Illustritas Vestra apud Eius Regiam Maiestatem intercedere, ut Eius Regiae Maiestatis litteris certificer, quae Illustritas Vestra affini meo, Domino Stanislao Lwowzky a Ostrorok, dari curare dignetur. Eas enim mihi absque mora transmittet, quo quam primum quidpiam supradicti officii in Russia vacaverit, mihi ex gratia Eius Regiae Maiestatis conferatur.

Insuper oro, dignetur Illustritas Vestra Cancellarium Eius Regiae Maiestatis de iisdem litteris alloqui. Id enim se prestitum Dominatio Eius benigne mihi pollicita est. Non dubito, quin Illustritas Vestra, Dominus meus clementissimus, gratiosam operam suam in hoc mihi prestare dignabitur, postquam Illustritas Vestra huius meae petitionis mihi author esse dignata est. Illud ipsum Illustrati Vestrae servitiis meis, licet exiguis, reservire summam navabo operam. Et quamvis nunc temporis Regismonte<sup>2)</sup> Illustrati Vestrae adesse servireque presentia mea merito debuerim, sed cum iam apud nos in Russia iudicia agentur, quibus me adesse rerum mearum causa oportet, Illustritatem Vestram supplex oro, dignetur Illustritas Vestra gratiosam dare veniam... Date Soldavie, 11 Septembris, anno 1552.

Illustritatis Vestrae deditissimus servitor  
Procopius Syenyawsky.

*Schedula:*

Nomina Rothmagistrorum ad servicia Illustrissimi Domini et Domini Alberti, Dei gratia Ducis Prussiae etc.  
Stanislaus Strus  
Nicolaus Pothoczki  
Georgius Makowiczki  
Ioannes Czemyerzinski.

<sup>z)</sup> sic in ms.

*N. 1360.*

*Lubaviae, 12.IX.1552.*

*Spytek Jordan de Zakliczyn, castellanus Sqdecensis, R.P. thesaurarius generalis,*  
*Alberto in Prussia duci*  
*de vilipendio et iniuriis, in oppido Ilawa a burgrabio eiusdem oppidi,*  
*Leonardo, sibi et canonico Cracoviensi, Georgio Podlodowski, illatis, conqueritur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

*Illustrissime Princeps etc.*

Qua iniuria quove levipendio affecti simus una cum Reverendo Domino Georio<sup>2)</sup> Podlodowski, Canonico Cracoviensi et Sacre Regie Maiestatis Secretario, in oppido Vestre Celsitudinis Ilava dicto a quodam Burgrabio Leonardo atque incolis eiusdem oppidi, ex Magnificis Dominis Castellano Brzesinensi<sup>1)</sup> et Domino Regni Cancellario,<sup>2)</sup> amicis nostris, quibus hoc negocium denunciandum Vestre Illustrissime Celsitudini litteris nostris comendavimus, intelligere dignabitur, pro eoque, quo Senatores Regni atque viros equestris ordinis favore et clemencia prosequi solet, vicem hanc nostram condolere efficereque, ut hec nostra indigni-

tas atque iniuria servitorumque nostrorum vulnera debita in Burgrarium pena mulciantur, quandoquidem a nostris ne occasio quidem aliqua data est. Quod Celsitudinem Vestram facturam non dubito... Datum Lubaviae, XII die mensis Septembris, anno 1552.

obsequentissimus servitor  
Spithek Jordan de Zakliczyn, Castellanus Sandecensis  
et Regni Polonie Thezaurarius generalis  
subscriptus.

z) *sic in ms.*

1) *Ioannes Lutomirski.*

2) *Ioannes Ocieski.*

N. 1361.

Izbica, 13.IX.1552.

*Silvester Kretkowski, castellanus Bydgostiensis,*

*Alberto in Prussia duci*

*pro falconibus sibi a duce missis gratias agit, sed dolet eos alis et caudis fractis ad se allatos esse; alias falcones sibi mitti expedit.*

(Polonica)

*Sigill.*

H B A, B 2, K.382.

N. 1362.

Vilnae, 4.X.1552.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*

*Alberto in Prussia duci*

*de meliore valetudine coniugis ducis gaudet; de certis suspicionibus in Germania in ducem et regem sparsis miratur; controversiam de finibus ad frequentiorem Senatum Lithuaniae a rege reiectam significat.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.382.

N. 1363.

Brok, 6.X.1552.

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis,*

*Alberto in Prussia duci*

*de loco et tempore, conventui commissariorum ad regundos fines inter Masoviae et Prussiae Ducatus designato.*

*Sigill.*

(Annexum: Exemplum litterarum episcopi Plocensis ad commissarios ducales)

H B A, B 2, K.382.

*Illustrissime Princeps etc.*

Tabellarius Illustrissime Dominationis Vestrae ad me venit, cum iam essem in itinere versus fines Prutenicos suscepto. Expectabam ego

ab aliquot iam ebdomadis Illustrissimae Dominationis Vestrae significationem, a quonam loco hoc finium regundorum negotium inceptum esse vellet. Quod si mihi declaratum antea fuisset, omnino me voluntati illius libenter summoque studio attemperatus fueram. Verum cum Illustrissima Dominatio Vestra nihil ad me de hoc scribere dignata esset terminusque negotio transigendo iam appropinquaret, putabam nunc quoque Illustrissimae Dominationi Vestrae idem placere, quod antea anno superiore mihi significare dignata erat, ut scilicet a loco, vulgariter Prostky<sup>1)</sup> nuncupato, in districtu Iohanspurgensi, hoc ipsum negotium inicium sumeret. Eamque ob causam victualium provisionem illic parari feci et nobiles, in confinibus illis degentes, litteris regiis praemonui, ut pro suo interesse praesto essent et ad tempus transactio- nis attenderent, ne cum suis munimentis essent in mora. Quare rebus sic instructis fieri iam non potest, ut in alium me locum conferrem. Proptereaque Commissariis Illustrissimae Dominationis Vestrae id iam, iuxta illius placitum, significandum curavi. Quod ut boni consulere meque clementia sua prosequi Illustrissima Dominationis Vestra dignetur, plurimum rogo eandemque diutissime sospitem et foelicissimam valere ex animo praecor. Ex Brok, die VIa Octobris, anno Domini MDLII.

Illustrissimae Dominationis Vestrae

a) obsequentissimus servitor

Andreas Episcopus Plocensis manu propria  
subscriptis.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria*.

1) *vel Proszki*.

*Annexum: Exemplum litterarum episcopi Plocensis ad commissarios ducales:*

Spectabiles, Magnifici et Generosissimi Domini, Amici Charissimi et Honorandi, salutem et plurimam foelicitatem offitiosamque mei commendationem.

Quam primum hoc iter ad finiendos et determinandos limites inter Masoviae et Prussiae Ducatus ex commissione Sacrae Maiestatis Regiae, Domini mei clementissimi, sum aggressus, Tabellarius Illustrissimi Domini, Domini Prussiae Ducis, Domini mei gratiosissimi, con- venit me cum literis Illustritatis Suae in praedio meo Rzassnik,<sup>1)</sup> quibus a me Illustritas Sua petit, ut mandatis Sacrae Regiae Maiestatis, Domini mei clementissimi, satisfaciendo, me iam ad certum differen- tiarum harum locum conferrem, ac ut etiam cum Vestris Dominationibus certo aliquo tempore convenirem. Quod ego omnino percu- pide facere iam sum paratus, ut et mandata Sacrae Regiae Maiestatis, mihi iam pridem data, exequerer et votis desiderioque Illustrissimi Do- mini, Domini Prussiae Ducis, Domini mei gratiosissimi, hoc ipso no- mine quam primum morem gererem. Quoniam vero Illustritas Sua id etiam literis suis benigne voluntati meae et arbitrio permettere dignatur, ut a quo loco velle, eorum ipsorum limitum initium sumerem, cuius quidem mandata summa cum animi alacritate obire et exequi cuperem, tamen cum Illustritas Sua prioribus etiam literis semper antea eos ipsos limites a loco dicto Prostki,<sup>2)</sup> propre Toczilov,<sup>3)</sup> incipiendos et aggrediendos esse cupiebat, nolens itaque ego meum in hoc sequi arbitrium, sed voluntati Illustritatis Suae, quam mihi antea declarabat, me in omnibus attemperans, ad dictum locum Prostky iter meum destinavi ibique iam necessaria victus praeparanda curavi. No-

bilitati quoque loci illius, subditis Regiae Maiestatis, quorum etiam de praefatis limitibus aliquid interest, ut praesto sint, literas Sacrae Regiae Maiestatis iam dudum antea praemisi eisdemque hac de re tota, ut sese ad eam limitum transactionem praepararent, scripsi. Nec vero, cum ita sese habeat, ego quoque nihil cunctando ad concludendum hoc finium negotium, Deo bene volente, vadam certoque pro feria secunda, post festum Sanctae Hedwigis proxima, in oppido Wassosse, prope dictum locum Prostky, constituar. In crastino vero eius diei ad bona nobilium Graievo, ubi etiam de finibus ambigitur, me conferam.

Quod Vestris Dominationibus propterea tempori significare volui, ne clam illis esset de mutuis nostris congressibus, quo scilicet loco et quo tempore convenire debeamus. Id namque Illustrissimus Dominus, Dominus Dux Prussiae, per suas literas mihi commisit et iniunxit, ut de loco et tempore Vestras Dominationes certiores redderem. Quibus de rebus ut mihi quoque Dominationes Vestrae mentem et voluntatem suam quam primum perscrivant, diligenter ab illis peto. Easdemeque foelicissime valere ex animo precor et opto. Ex oppido meo Brok, die VI Octobris, anno Domini MDLII.

Vestrarum Dominationum  
obsequens amicus  
Andreas Episcopus Plocensis manu sua subscrispsit.

- 1) Rzq̄snik.
- 2) Proszki.
- 3) Toczyłowo.

N. 1364.

Nakło, 9.X.1552.

*Ianussius Kościelecki, palatinus Brzestensis, Maioris Poloniae capitaneus generalis,  
Alberto in Prussia duci  
causam de restitutione argenti, per demortuum Rychwalski a duce recepti, quam dux cum Vratislaviensibus habet, ob contagionem pestis, Posnaniae et in aliis locis Maioris Poloniae grassantis, in aliud tempus reiiciendam esse putat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1365.

Lublini, 13.X.1552.

*Stanislaus Tęczyński  
Alberto in Prussia duci  
pro equo Frisio a duce sibi misso gratias agit, quem tamen, utpote propter aetatem adultam et aegros oculos ad equiria minus aptum, rursus remittit.  
Sigill. Autogr.  
H B A, B 2, K.382.*

N. 1366.

Vilnae, 27.X.1552.

*Ioannes Ocieski, R. P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
de prospera ducis valetudine gaudet; in negotio Balthasaris Schmaltz, a  
duce sibi commendati, rege absente nihil se facere posse nuntiat;  
negotium limitum ad maiorem frequentiam consiliariorum suorum  
Lithuanorum regem reiicere solere significat.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.382.

N. 1367.

Dobrzykowo, 27.X.1552.

*Petrus Szczawiński, castellanus Sochaczeviensis, Andreas Duchnicki, ar-  
chidiaconus Pomeraniae in ecclesia Vladislaviensi, Stanislaus Wolski,  
pincerna Sandomiriensis et capitaneus Gostinensis, Albertus Grabski,  
Albertus Koszobudzki, executores testamenti Ioannis Dobrzykowski,  
succamerarii Plocensis,  
Alberto in Prussia duci  
mortem Ioannis Dobrzykowski, succamerarii Plocensis, nuntiant, liberos  
eius duci commendant et rogant, ut filius eius, qui in servitio ducis  
manet, ad funus patris obeundum venire possit.*

*5 sigilla.*

H B A, B 2, K.382.

N. 1368.

Vilnae, 12.XI.1552.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
de filio sibi nato nuntiat ducique prolem masculam auguratur; de regis  
infirma valetudine et de peste in Lithuania significat; de futuris  
nuptiis filiae castellani Cracoviensis [Ioannis Tarnowski] cum Ba-  
silio Constantinide [Ostrogski] refert.*

*Vest. sigilli.*

*(Annexa desunt)*

H B A, B 2, K.382.

N. 1369.

Vilnae, 15.XI.1552.

*Stanislaus Lipnicki iunior, aulicus regius,  
Alberto in Prussia duci  
a Bernardo Pohibel, nomine ducis rogatus, equum gradarium pro filia  
ducis comparatum per eundem Pohibel mittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1370.

Vilnae, 17.XI.1552.

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
in negotio viduae Georgii Ferber, a duce sibi commendatae, omnem se  
diligentiam adhibuisse, causam tamen ad consiliarios terrarum Prus-  
siae devolutam esse significat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

N. 1371.

Vilnae, 28.XI.1552.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
de obsidione Agriae in Hungaria, de peste in Austria grassante, et alia  
nova ex Hungaria et Austria.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.382.*

*Illustrissime Princeps etc.*

Quamvis proficiscente isthuc ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram Magnifico Domino Ioanne a Werden, fido illius servitore, meo autem singulari amico, necesse non habebam ad illam scribere, cum ille omnia coram plenius et copiosius Illustrissimae Celsitudini Vestrae posset expondere, quam ego absens literis mandarem, tamen ut vel hoc genere non intermittendarum literarum meae erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantiae testimonium extaret, facere non potui, ut hanc occasionem dandarum literarum ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram negligarem.

Caesar Turcarum Agriensem arcem iam obsidione solvit, ad quam tantus belli impetus et apparatus constiterat, ut omnibus muris et pro-

pugnaculis deiectis, nihil praeter fossam munitionis ii, qui erant in praesidio, reliquum haberent. Etsi enim magna cum hominum, tum reliqui apparatus iactura, Turcae discessere, tamen illud me non solatur, quod aliquot tantum miliaribus in Zolnok inde castra locaverunt, tanquam redintegratis viribus, maiore cum apparatu iterum ad eandem obsidionem reddituri. Quod utinam non contingat. Nulla enim spes est, ut aliquis eis extrinsecus opem ferat, cum nemo sit in armis praeter Ducem Mauricium, qui apud Posonium castra posuit. Caeterum metuitur, ne et huius milites indies dilabantur, propterea quod octo mensium stipendum illis non sit persolutum.

Rex Romanorum, cum antea filios suos in Stiriam propter suspicione pestis Vienna ablegasset, ipse precibus suorum aliquandiu detentus, ne discederet animumque subditis adimere, hosti autem addere videtur, tandem discessit aliquot miliaribus a Vienna. Pestis enim plurima Austriae loca occupavit et in Mauricii castris iam grassari dicitur. Haec habui, quae Illustrissimae Celsitudini Vestrae scribebam... Datum Vilnae, XXVIII die Novembris, anno Domini MDLII.

a) Veste Illustrissime Celsitudinis  
servitor addictissimus  
Ioannes Oczieski manu sua.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria.*

N. 1372.

Strzygi, 29.XI.1552.

Elisabeth de Sieprc Brudzewska, palatina Lanciciensis,  
Alberto in Prussia duci  
de causa sua cum Alberto Finck, iudice terrestri Hohensteinensi, de bonis  
Mielno habita, in qua protectionem ducis implorat.

Vest. sigilli.

H B A, B 2, K.382.

N. 1373.

Vilnae, 30.XI.1552.

Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
regem cupere nuntiat, ut controversia de finibus inter Ducatum Prussiae  
et Lithuaniae quam primum finiatur.

Sigill.

H B A, B 2, K.382.

*N. 1374.*

*Szamotuły, 16.XII.1552.*

*Lucas a Górką, capitaneus Buscensis,  
Alberto in Prussia duci  
per Eustathium Trepka, secretarium suum, debitam duci summam mille  
talerorum Ioachimicorum mittit gratiasque pro hoc mutuo sibi con-  
cesso iterum agit.  
Sigill.  
H B A, B 2, K.382.*

*N. 1375.*

*Ex pago Lucinensi, 20.XII.1552.*

*Stanislaus Wolski, pocillator Sandomiriensis, tribunus Siradiensis et ca-  
pitaneus Gostinensis,  
Alberto in Prussia duci  
pro consolationibus ob mortem Ioannis Dobrzykowski, succamerarii Plo-  
icensis, affinis sui, gratias agit; filiolum eiusdem Dobrzykowski duci  
educandum et iuventutem eius bene dirigendam committit.  
Vest. sigilli.  
H B A, B 2, K.382.*

*N. 1376.*

*Vilnae, 28.XII.1552.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
scribit de commercio litterarum inter ducem et regem Poloniae; adiungit  
verba de tumultibus in Germania.  
Sigill. Autoogr.  
H B A, B 2, K.382.*

# 1553

N. 1377.

Jastrzębiec, 27.I.1553.

*Spytek Jordan de Zakliczyn, castellanus Sądecensis, R.P. thesaurarius,  
Alberto in Prussia duci  
pro ovibus sibi a duce promissis gratias agit, quas tamen una cum pasto-  
ribus habere vult, et nuntiat nullis litteris regiis ad eas per ditiones  
Regni pellendas opus esse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.383.*

N. 1378.

Łomża, 1.II.1553.

*Felix Srzeński, palatinus Plocensis,  
Alberto in Prussia duci  
perdices dono mittit et (in schedula) de adventu reginae Bonae ad tempus  
carnisprivii transigendum nuntiat.*

*Vest. sigilli.  
(Schedula adiuncta)  
H B A, B 2, K.383.*

N. 1379.

Cracoviae, 8.III.1553.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
longiorem nuntii ducis detentionem negotiorum mole excusat; de felici  
Comitiorum exitu sperat; mittit exemplum litterarum sultani Turca-  
rum ad regem.*

*Sigill.  
(Annexum: Exemplum litterarum sultani ad regem Poloniae)  
H B A, B 2, K.383.*

*Illusterrissime Princeps etc.  
Quod tam diu Illustrissimae Vestrae Celsitudinis Nuntius hic deten-  
tus est, non aegre ferat Illustrissima Celsitudo Vestra. In causa fuit*

moles praesentium negotiorum et ipsa deliberacionis mora, ad quam temporis aliquantum sumendum erat, adeo ut citius, quam hinc discessit, expediri non potuit.

De Comitis Illustrissimae Celsitudini Vestrae non habeo quod scribam. Neque enim adhuc satis constat, quid sit in illis constitutum. Et principium, ut dici solet, grave et arduum est. Verum tamen magna spes est fore, ut foelicem et optatum exitum consequantur.

Mitto Illustrissimae Celsitudini Vestrae exemplum literarum Imperatoris Turcici,<sup>1)</sup> in Latinum sermonem translatarum, quae sunt per aulicum regium, qui isthuc Vilna missus fuerat, allatae. Ex quibus, quam blandas et benignas det pollicitaciones, Illustrissima Celsitudo Vestra intelligit... Datum Cracoviae, VIII mensis Martii, anno Domini MDLIII.

a) *Vestre Illustrissime Celsitudinis  
servitor addictissimus  
Ioannes Oczieski manu sua.<sup>b)</sup>*

a)-b) *manu propria.*

1) *Solimanus II.*

*Annexum: Exemplum litterarum imperatoris Turcarum ad regem Sigismundum Augustum:*

Serenissime Rex, Amice et Vicine Charissime.

Redditæ sunt nobis litteræ per Nuncium Maiestatis Vestrae, ex quibus intelleximus, quod, sicuti inter nos fuerat constitutum de dando salvo conductu Legato,<sup>1)</sup> quorundam negotiorum utrinque tractandorum causa profecturo, quam primum salvus conductus a nobis ad illam est perlatu, Maiestas Vestra misit Legatum. Qui cum venisset in fines Moldaviae, antiquo more misit ad Palatinum Stephanum litteras nostras et duos homines nobiles, liberum ad nos transitum ab eo petituros. His ille captis, volens etiam ipsum Nuncium dolo aliquo circumvenire, detinuit. Sed eo cognito Legatus, expectans a Maiestate Vestra mandata, quid porro illi esset faciendum, mansit in finibus. Verum Palatino Moldaviae a suis imperfecto, cum tumultus ingens ac rerum perturbatio, ac pestis denique ipsa consecuta esset, domum redit. Quo factum est, ut negotia et foedus, quod inter nos debuit constitui, fuerint intermissa et ad hoc usque tempus dilata. Atque id scripsit Maiestas Vestra sibi permolestum accidisse, et ut certam spem de amicitia mutua haberemus, fecit nos Maiestas Vestra per litteras et per aulicum vestrum, Andream Osieczki, certiores, quod nihilominus Legatus absque mora ad constituendum foedus mutuum et amicitiam ad nos venturus esset. Id studium Maiestatis Vestrae et animi propensionem exponentem aulicum illius benigne audi-  
vimus et omnia, quae retulit, plane intelleximus.

Quam ob rem sciat Maiestas Vestra, quod nostra potens aula patet omnibus, neque cuiquam liber accessus aut recessus prohibetur. Hanc libertatem nos inde usque a maioribus nostris cuivis inviolatam et integrum conservamus ac veluti praeciosum quandam thezaurum tuemur atque custodimus, et quasi haereditate paterna, quae apud nos mansit, gloriamur. Tum ita nos deinceps etiam geremus, ut, nisi amicitia nostra vetus a Maiestate Vestra labefactata fuerit, a nobis nunquam, Deo dante, labefactetur. Legatis etiam Maiestatis Vestrae liber semper ad nos acces-sus, et is eius Nuncius, recte et honeste suis legitimis negotiis confectis, a nobis est celeriter, sicuti Maiestas Vestra postulabat, expeditus. Cum autem Legatus Maiestatis Vestrae venerit, omnia iusta et legitima nego-

cia, quae veris amicis conveniunt, volente Deo certis inter nos pactis constituentur.

Significamus etiam Maiestati Vestrae, quod ex Transsilvania primores et reliqui inferioris status ordines ad nos graves homines cum litteris miserunt, cupientes, ut illis filius Regis Ioannis<sup>2)</sup> in Dominum constituantur, cui se, pulsis Germanis, spondent fideliter obsequuturos, simul etiam delicti sui, quod se in Dominum suum commisisse dolent, veniam petentes orantesque, ut filius stirpis regiae in illorum terra in solium regium collocetur. Cum itaque hae literae ad vos pervenerint, rogamus, ut, si fieri possit, isthuc filio isti regio auxilio sitis, ut in terra et ditione sua queat considere. Quod si ab ista parte eo illum introducere non possetis et ea res vobis negotium facesseret, tum eum nobis cum gravibus primoribusque viris mittatis, quo eum nos ab nostra parte in patriam illius introducamus et introductum in solio regio coronemus, ut, quemadmodum pater illius, sic et ipse benignitate nostra dominium regium assequatur. Cum etiam illorum erga nos fidelia extiterint obsequia, neutiquam convenit eum patria sua, patientibus nobis, privari. Opus est igitur, ut absque ulla mora huc allegetur, ne res haec aliqua negligentia intermittatur. Quo enim longius hoc prorogabitur, eo magis ac magis ibi vires hostis crescent... Datum Constantinopoli, X die Decembris, anno Domini MDLII.<sup>a)</sup>

a) in ms. MDLIII

1) Ioannes Dembiński, castellanus Bięcensis.

2) Ioannes Sigismundus.

N. 1380.

Cracoviae, 9.III.1553.

Spytek Jordan de Zakliczyn, castellanus Sqdecensis, R.P. thesaurarius,  
Alberto in Prussia duci  
de seditione contra se et servitores suos in oppido Iława excitata.

Sigill.

H B A, B 2, K.383.

Illustrissime Princeps etc.

Ex litteris Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, non ita pridem ad me scriptis, intellexi Vestram Illustrissimam Celsitudinem diligenter laboresse, ut autores seditionis illius in Iława, in servitores meos ad me ipsum excitatae, investigarentur. Ac eius rei causa miserat eo Illustrissima Celsitudo Vestra, ut rem melius cognitam ac perspectam ad Celsitudinem Vestram refferent. Eo denique ventum est, ut cives iuramento praestito testimonium dederint non Praefectum hunc Lendorff earum turbarum ac seditionis, sed meorum quosdam causam ac occasionem fuisse. Ad haec ut paucis Illustrissimae Celsitudini Vestrae respondeam, pudaret me equidem aliud, quam res est, in hoc negocio ad Vestram Celsitudinem scribere, praesertim cum id longo usu et consuetudine probe didicerim, quo pacto me in eiusmodi rebus ac aliis etiam erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram gerere debeam. Quod vero cives omnes Praefectum illum extra omnem culpam et noxam esse confitentur, seditionem vero meis plane ascribant, id minime miror. Nam nolint velint, id dicere in gratiam Praefecti sui cogentur, quod in rem eius

optimum esse intelligunt. Sed ubi Vestra Celsitudo negotium hoc apud se pro sua prudentia diligentius expendet, comperiet rem multo se aliter habere. De qua cum nunc ob certa ac seria Reipublice negotia ad Celsitudinem Vestram multis scribere non possum, partim impeditus et plane distractus aliis rebus, tum etiam quod collega meus, Reverendus Dominus Georgius Podlyodowski, Sacrae Maiestatis Regiae, Domini mei clementissimi, Referendarius, hic non adsit, ubi plus ocii atque temporis nactus fuero, de his omnibus ad unguem ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem perscribam. Quod ubi Celsitudo Vestra intellexerit, facile confido gratiae eiusdem illam se ita esse gessuram, ut autores seditionis illius, in ignominiam meam excitatae, serio et graviter puniantur.

Porro quod Vestra Illustrissima Celsitudo promittit mihi oves ex ovili suo, quae hic rarius inveniuntur, ad me esse missuram, hoc nomine Illustrissimae Celsitudini Vestrae magnas ago et simul habeo gratias. Sed quod id non prius nisi sub advenientem autumnum facere se Celsitudo Vestra promittit, id parum reffert, modo sub illud tempus Celsitudo Vestra benignam mei rationem hac in parte habeat ac oves rariores istas una cum pastore ad me mittat... Datum Cracoviae, IX Marcii, anno Domini MDLIII.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae  
addictissimus servitor  
Spitek Jordan de Zakliczin, Castellanus Sandecensis,  
Regni Poloniae Thezaurarius Supremus,  
Camionaczensis Capitanus ac Vectigalium  
in Minori Polonia Praefectus,  
manu propria perscrispit.

N. 1381.

Cracoviae, 9.III.1553.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
scribit nova ex Polonia et ab exteris: de iudiciis et appellationibus, de  
palatino Valachiae, de Turca a rege Persarum afflito et ad foedera  
cum principibus christianis ineunda propenso, de papa et imperatore  
ducis Moscorum conversionem in sinum Romanae Ecclesiae  
sperantibus, de Transilvanis etc.  
(Schedula adiuncta)*

Sigill.

H B A, B 2, K.383.

... Illustrissime Princeps.

Ante dies 16 dedi litteras ad Illustrissimam Vestram Dominacionem, quibus rationem reddidi, quod ab Septembre perpetuo fere vagabundus, cum pestis, tum aliorum negotiorum causa, nullas ad Vestram Celsitudinem litteras dare potui.

Nunc de statu rerum Polonicarum etsi multis agere non possum, ex improviso occasione mittendi oblata, summam tamen Vestrae Celsitudini, ut potero, aperiam. Mitto in primis scriptum Polonicum,\* quod facile in Latinum aut Germanicum transferre iubebit. Ex quo Vestra Celsitudo intelligent, quid equites sive nobilitas omnium Provincia-

rum pre se ferat. Hoc enim scriptum a tribunis plebis magno serio in hiis Comiciis Regiae Maiestati porrectum est. Etsi autem veterem cantilenam nunc apercius et clarius canunt, tamen video eundem exitum habituram, sicut ante. Bellicam expedicionem Regia Maiestas respondit in sua manu esse, nec videre se causas sufficientes, ut fiat. Ad repentinias vero incursiones hostium milite mercenario opus esse, in cuius stipendum ex publica contribucione peccuniam esse querendam. Id, quo modo fiat, deliberatur. Exequucionem libertatum et privilegiorum Regni non in sola Maiestate Regia sitam esse, sed magna ex parte in Senatoribus. Qui tamen negant se aliquid contra ius commune facere.

De iusticia sive iudiciis Maiestas Regia respondit se ea nequaquam absolvere posse, eciam si maxime velit, in tanta frequencia litigantium, et presertim apellacionum, que hactenus a morte, immo ante mortem, Regis Sigismundi patris etc., longo intervallo pendent indecise. Quare, ut omnes Regni Ordines modum iudicii inveniant, a quo non esset appellacio. Harum<sup>a)</sup> autem omnium rerum si quis erit exitus, et alias circumstancias, Celsitudini Vestrae per occasionem significabo.

Ab extra varia adferuntur, nihil tamen novi. Questio de suscipienda Valachia in omagium et deffensionem adhuc in dubio est. Nuncii magni (ut vocant) a Valachiae Palatino<sup>1)</sup> huc venerunt, maiore, quam antehac unquam, honore suscepti, sed nihil adhuc protulerunt.

Turcam ita occupatum, immo afflictum a Rege Persarum,<sup>2)</sup> ut ab eo omnia foedera omnes Europe Principes facile impetrant. Concessa, ut fertur, minimo negocio Regi Romanorum, sub tributo 15000 ducatorum, perpetuo. Quod nos non credimus. Nobis quoque offeruntur libere, atque missura est Regia Maiestas istis mensibus hac de causa fortasse Dominum Tęczinski,<sup>3)</sup> Castellanum Leopoliensem, quondam Vestre Celsitudinis aulicum.

Moszkorum Duci titulus Regni et corona a Papa et Caesare Romanorum promissa esse [dicuntur]. Quod ut possit impediri, missi sunt Oratores Littwani quidem a Regia Maiestate, Dominus Marszalcus Lytwaniae<sup>4)</sup> et Dominus Kiesgal,<sup>5)</sup> ad Regem simul et Imperatorem Romanorum. Subolfacio tamen negocium matrimonii regii aut in Bavaria, aut certe apud alterutrum istorum duorum monarcharum tentari.

Transilvani subjectionem vel obedienciam Regi Romanorum edixerunt, quandoquidem eos non posset aut nollet defendere, Legatosque ad Regem nostrum ablegarunt (nondum tamen sunt visi, nec fortasse admittentur) petituros, ut Regia Maiestas filium Regis Ioannis<sup>6)</sup> eo dirigat, quounque modo Regem eorum futurum. Aliud nihil video (presertim properans) Vestrae Celsitudini scriptu dignum. Gravamina seu questiones ex pactis, per Vestram Celsitudinem cum Regno Polonie initis, in Polonicum transtuli (quamquam inicia earum controversiarum, prima videlicet introductio, mihi non fuit in scriptis data Gedani). Mittere tamen ea Vestrae Celsitudini nunc non videbatur, ne forte Nuncios Vestrae Celsitudinis (si quos mittere huc constituit) in itinere fallant vel pretereant.

Item Palatinus Valachiae misit litteras privilegii Episcopo Camenecensi,<sup>7)</sup> faciens illum quoque Episcopum Generalem Valachie, ut sit idem, qui Podoliae, volens suos subditos ad religionem Romanae Ecclesiae inducere. Nunc iste Podoliae sive Camenecensis Episcopus Regie Maiestati scripsit se non recusare laborem, noluisse tamen vel ausum non esse acceptare sine scitu vel voluntate regia etc. Valeat quam foelicissime Vestra Celsitudo mihi propicia. Cracovie, 9 Marci, 1553.

Stanislaus Boianowski.

*Schedula adiuncta:*

Ex Germania ego nunc nihil certi habeo. Duos Electores Saxoniae<sup>8)</sup> (natum et creatum) etc. brevi magnis exercitibus conflicturos, aut iam conflixisse narrant. In summa, parva spes pacis. Nos interea Cesariani.

- |   |   |
|---|---|
| a) <i>in ms. Horum</i>                  | 5) <i>Stanislaus Kiežgajło.</i>           |
| 1) <i>Petrus I Bonus.</i>               | 6) <i>Ioannes Sigismundus.</i>            |
| 2) <i>Tahmasp I Sophi.</i>              | 7) <i>Leonardus Słonczewski.</i>          |
| 3) <i>Stanislaus.</i>                   | 8) <i>Ioannes Fridericus et Mauritus.</i> |
| 4) <i>Nicolaus Radziwiłł « Niger ».</i> |   |
| * <i>) deest.</i>                       |   |

*N. 1382.*

*Cracoviae, 12.III.1553.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
de causa Georgii Ritter.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.383.*

*N. 1383.*

*Cracoviae, 18.III.1553.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
nulla excusatione opus fuisse scribit, quod dux sibi exemplum litterarum  
regis, in negotio ducis scriptarum, non miserit, se enim scire addit  
id festinatione tabellarii factum esse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.383.*

*N. 1384.*

*Cracoviae, 21.IV.1553.*

*Spytek Jordan de Zakliczyn, castellanus Sqdecensis, R.P. generalis thesau-  
rarius,  
Alberto in Prussia duci  
de iniuriis sibi et domino Podlodowski illatis; de annua pensione duci  
persolvenda; de ovibus sibi a duce promissis et de opilione seu pasto-  
re una cum eisdem ovibus a se desiderato.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.383.*

Cracoviae, 23.IV.1553.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*

*Alberto in Prussia duci*

*de negotiis ducis in Comitiis tractatis: de primario loco in Senatu, de  
appellationibus, de liberis commerciis cum Lithuania; item de proxi-  
me futuris nuptiis regis cum archiducissa Austriae [Catharina] et de  
sperato ducis ad eas nuptias adventu.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.383.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps etc.

Dici non potest, Illustrissime Princeps, qua animi alacritate, ne dicam stupore, accepi litteras manu Celsitudinis Vestre scriptas, et quanto penicius sublimitatem Celsitudinis Vestre, meam vero tenuitatem apud me reputo, tanto magis ac magis me illi hoc nomine debere fateor. Ago preterea non eas, quas debeo, sed quas possum Celsitudini Vestre gratias, quod me tanta pietate et clemencia prosequi non dignatur ac in posterum se prosequutur clementer pollicetur. Dabo operam, ut in fidelem observantissimumque sui collocatam gratiam agnoscat.

Quod ad negotia Celsitudinis Vestre attinet, que ex Gedano in Comicia reiecta erant, cum nullus erat a Celsitudine Vestra in hiis Comitiis Legatus, egi ego et legatum et sollicitatorem simul, propositumque est negocium totum et lectum in consilio et omnium Senatorum sententie dicte.

Quamvis vero quibusdam visum est, ne aliquid a prioribus responsis immutetur, sed in eadem, qua prius, perstaretur sententia, tamen cum ad singulos articulos ventum est, longior plus solito de primario loco habitus est sermo, neque deerant, qui dicent clare et diserte expressum esse verbis pactorum, deberi scilicet Celsitudnii Vestre primarium in consilio locum. Quod tamen antea nunquam in dubium vocatum erat, sed unanimi omnium sententia Archiepiscopus ad dexteram preferebatur. Propterea melius quam unquam antea sperare me iubet hec sentenciarum in Senatu varietas vel scissio.

De appellationibus quoque disputacio erat, cum pars Senatus nulla ratione ommittendam censerent, pars vero in hiis tantummodo accionibus, que inter subditos Regie Maiestatis et subditos Celsitudinis Vestre verterentur, ubi vero utraque litigantium pars Celsitudini Vestre subiecta esset, non posse a Celsitudine Vestra provocacionem fieri.

Inde spem capio sollicitacionem Celsitudinis Vestre aliquando meliorem fructum allaturam, cum aliquantisper a deliberacionibus prioribus, quas irrevocabiles esse censebant, discessum est. Proinde non suadeo a ceptis desistendum: una potest dare hora, quod totus denegat annus.

Lituanicorum negotiorum sollicitacio etsi sine odio fieri non potest quorundam, qui, ut summa rerum potirentur, exigunt a Principe meo, ne cuiquam Lituanicis negociis ingerendi concederetur facultas. Tamen ante omnia gratiam Celsitudinis Vestre michi proponens, egi diligenter cum Maiestate Regia. Qui respondit Celsitudinem Vestram priorem fuisse interdicendorum commerciorum vel pocius evectionum ex dicionibus suis in Magnum Ducatum Lituanie, inde Lituani instigare et exigere a Maiestate Sua ceperunt, ut illis similiter facere liceat. Verumtamen cum memini

pactorum inter diciones Celsitudinis Vestre et Lituaniā initorum, non recusavit Maiestas Sua illorum fieri rationem.

Quia vero non dubito Celsitudinem Vestram nupciis regiis presentem futuram, facile michi persuadeo omnia Celsitudinem Vestram reccius coram confidere posse. Ad quam rem studium, laborem fidemque meam deffero quam lubentissime.

Hodie Langus,<sup>1)</sup> nomine Archiducis Austrie,<sup>2)</sup> secretissimam habuit legacionem. Prima pars legacionis erat de Duce Legniciensi,<sup>3)</sup> ut in fidem Archiducis Austrie redire sibi liceat ad dicionem eius, quo honori et condicioni sue melius consulatur. Alterum nuncciat adventum Archiducis Austrie ad nupcias, ut ex arcta coniunctione arciorem faceret. Quod sibi hoc volet, non satis intelligit Maiestas Sua, credit tamen negotium in aliquam sororum Maiestatis Regie vergi.

Magno apparatu advehi dicitur hec Princeps, neque temperabitur ab armorum certaminibus, turnyr et aliis solaciis, ad que, ut ex Vienna scribitur, assiduo exercicio in aula Regis Romanorum aptantur multi. Hec secreto omnia ad Celsitudinem Vestram... Cracovie, 23<sup>a)</sup> Aprilis, 1553.

Vestre Illustrissime Celsitudinis  
servitor deditissimus  
Ioannes Oczieki manu sua.

1) *correctum ex: 22*

2) *Ferdinandus.*

1) *Ioannes Lang.*

3) *Fridericus.*

N. 1386.

Cracoviae, 23.IV.1553.

Ioannes Oczieki, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci

binas eodem tempore ducis litteras se accepisse nuntiat et addit super-  
vacaneum esse, ut dux ei pro obsequiis suis gratias agat, merita  
enim sua erga ducem nulla esse; ad litteras secretario ducis, Andreae  
Muncero (Münzer), se oretenus respondisse nuntiat.

Sigill.

H B A, B 2, K.383.

N. 1387.

Izbica, 8.V.1553.

Silvester Kretkowski, castellanus Bydgostiensis,  
Alberto in Prussia duci

pro falconibus (szokoly dzywoky) sibi missis gratias agit et postulatum  
a duce venatorem (canem? misliwca), in arte venandi perdices,  
anseres, grues et alios volucres peritum, duci mittit.  
(Polonice)

Sigill.

H B A, B 2, K.383.

Cracoviae, 8.V.1553.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
ducem obsecrat et hortatur, ut doctrinam Osiandri sequi desinat.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.383.*

Illustrissime Princeps.

Cum hinc Andreas Muncerus ad Vestram Celsitudinem discederet, paraveram copiosam epistolam admonitoriam, ne dicam obiurgatoriam, per hos menses 8 magna diligencia coctam. Que cum acerba, amara et simpliciter rigida in relegendi tum visa est, retinemadam adhuc nec Vestrae Celsitudini mittendam putavi. Non quod rei magnitudo et indigitas materiaque tam insana et scelerata hoc non mereretur, que omnibus mundi penis et supliciis dudum coercenda merito fuerat, sed quia in personam ducalem Celsitudinis Vestrae ille error quoque recidit (quem cum cacodemone vel dyabolo incarnato, illo Hosiandro, mortuum sperabamus et praecabamur), malui ego officium et debitum meum erga Vestram Celsitudinem retrahere et differre ad certum et commodum magis tempus, quam talem hominem, Principem tanta autoritate et longo rerum usu apud omnes bonos clarum atque charum, et quem ego primum, post Deum, in mundo amo adhuc et veneror, uno ictu perpetuo fortasse offendere, cogitans apud me: si interea Vestra Celsitudo ad se rediisset et sese vere intro respexisset, quod sit itidem, sicut omnes alii, vermium esca et pulvis, atque ita desiisset indignissimum facinus dyaboli in paradiso et Luciferi in coelo arroganciam promovere gloriamque Dei sibi usurpare, atque omnia Eius<sup>a)</sup> et Sacrae Scripturae clarissima testimonia, omnium seculorum Ecclesiarum autoritatem (arrepta<sup>b)</sup> eaque perverse intellecta<sup>c)</sup> unica dictione: Iehova, Iehova, Iehova, scelerato ore Hosiadri prophanata) contemnere non pergeret, ad quid esset talis mea admonicio?

Quam ob<sup>d)</sup> reverenciam nominis Vestrae Celsitudinis retraho, idque egerrime. Multi enim boni viri verbis et scriptis lamentabilibus me urgere non desiinent, qui et Vestrae Celsitudini optime semper cupiebant, honorem eius promovebant, et de me, quod sum in gratia eius non postremus, persuasi sunt, ut apud Vestram Celsitudinem agerem moneremque, ut recordetur se quoque hominem esse, cuius proprium accidens vel natura est labi, errare, insanire, incantari, infascinari etc. etc.

O Domine, o Princeps quandam generosissime, erige te, da seductori dyabolo alapam, resipisce, humilia te Deo et Illius, non tuam, <sup>b)</sup> quamquam speciemenus valde humilem,<sup>c)</sup> gloriam quere! Cogita Hosiandrum hominem atteos,<sup>d)</sup> tibi per zophisticas<sup>e)</sup> cavillationes (cui per tot annos faciles et credulas aures prebuisti) verbositate imposuisse atque in nomine tuo vanam gloriam sibi et sceleratam memoriam (sicut ille incensor templi Dyane) quesivisse. Vale, Illustrissime Princeps, si te respicis et nos, tuos, extremo merore, hostes vero Dei et nostros maxima laeticia afficere non perges etc.

Non contemnat Vestra Celsitudo meum in hoc miserando negocio iudicium, ut hominis indocti et simplicis, qui certe precipitanter agere nolui. Legi, relegi, perlegi, idque sine ullo praeiudicio, nullius favore aut odio seductus, atque nihil aliud inveni, quam ex<sup>d)</sup> arrogancia impiissima

detestandum et abominabilem, nequaquam ferendum errorem. Scripture argumentis non pugno, quia video vel audio tot vel omnium fere doctrinum et piiorum scriptis ac clarissimis Scripture racionibus abunde victum, sed pervicax et impudencia superbissima aures obturat. Vale iterum, Illustrissime Princeps, et mihi, qui nihil meum in hoc quero, ignosce. Craccovie, 8 Maii, 1553.

Stanislaus Boianowski.

a) *correctum ex: Dei*  
b)-c) *in margine.*

d) *suprascriptum.*  
z) *sic in ms.*

N. 1389.

Cracoviae, 11.V.1553.

*Ioannes Boner, castellanus Chelmensis,  
Alberto in Prussia duci  
benevolentiae ducis erga patrem suum defunctum memor, petit, ut dux  
sibi equum ad ludos idoneum mittat, qui occasione nuptiarum regis  
cum ducissa Mantuae, filia regis Ferdinandi [Catharina], dabuntur.  
(Germanice)*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.383.

N. 1390.

Cracoviae, 13.V.1553.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
de nato duci filio gratulatur.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.383.

*Illustrissime Princeps etc.*

Taceo, quantam spem natus Illustritati Vestrae filius Reipublicae, quantum omnibus bonis fecerit. Tantum illud silentio praeterire non possum, me, servitorem Illustrissimae Vestrae Celsitudinis, ingenti gaudio inde esse elatum. Non solum ideo, quod Illustrissimae Vestrae Celsitudini sumnum in vita solatium contigit, sed etiam quod ego, qui pro summis Illustrissimae Vestrae Celsitudinis erga me beneficiis Illustritati Vestrae vel per occasionem, vel per inscitiam satisfacere obsequiis meis non potui, id, quod illis defuit, Illustrissimae Vestrae Celsitudinis filio serviendo suppleturum esse confido. Quem ut ardentibus votis et toto pectore a Deo Optimo Maximo mihi et filio meo Dominum expetivi, ita etiam tempori me filiumque meum et obsequia utriusque nostrum, teste Illustritate Vestra, illi addico et divinum Numen precor, eum benignitate sua foveat, ut non modo in hereditatem paternam, sed etiam in sumnum virtutis, rerum gestarum et gloriae splendorem succedat, quem imitans et paternis imaginibus et optime de Republica merendo clarissimus evadat et Reipublicae salutaris existat. Atque etiam, quod Illustritati

Vestrae Deum esse largiturum confido, et opto ex animo, longissimam  
ad regendos, iuvandos et tutandos homines agat aetatem... Datum Cra-  
coviae, XIII die Maii, anno Domini MDLIII.

a) Vestre Illustrissime Celsitudinis  
servitor addictissimus  
Ioannes Ocieski.<sup>b)</sup>

a)-b) *manu propria.*

N. 1391.

Cracoviae, 31.V.1553.

Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
litteras passus duci Cracoviam venturo (ad nuptias regis) mittit.

Sigill.

H B A, B 2, K.383.

N. 1392.

Posnaniae, 6.VI.1553.

Lucas a Górką, capitaneus Buscensis,  
Alberto in Prussia duci  
litterae fidei pro nobili Matthia Poley, servitore suo, quem in certis  
negotiis oretenus perferendis ad ducem mittit.

Sigill.

H B A, B 2, K.383.

N. 1393.

Cracoviae, 8.VI.1553.

Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
de regis nuptiis ob aegritudinem prorogatis.

Sigill.

H B A, B 2, K.383.

N. 1394.

Cracoviae, 21.VI.1553.

Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
de longiori nuptiarum regiarum dilatione ob regis infirmorem valetudi-  
dinem significat.

Sigill.

H B A, B 2, K.383.

Cracoviae, 22.VI.1553.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de regis gravi aegritudine nuntiat et ducem hortatur, ut « ad omnem  
fortunam se paret ».*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.383.*

Precor Tuae Illustrissimae Dominacioni omnia foelicissima.

Properante nunccio, pauca mihi scribenda esse video illaque non bona. Rex enim ex illa egritudine, quam (nescio qua temeritate) parvi pendebat, periculose et indies peius valet. Que res plurimos iam nostorum reddidit perturbatissimos. Nec id sine causa. Mortuo enim illo, facile possumus perspicere excialia mala illaque multa et varia nos manere. Nam eciam si nullus hostium ab extra (qui plurimi sunt) nos agrederetur, certe nos ipsi inter nos satis malorum et calamitatum adferremus, partim ex ambitione Regni, que plurimos vexabit, partim ex inventeratis odiis, in omnibus fere ordinibus latissime sparsis. Unde nihil aliud, quam cedes, rapine et cetera id genus mala nobis sunt expectanda, a quibus ne salus ipsa, si vellet, liberare non<sup>z)</sup> posset, nisi Deus pro suabonitate et omnipotencia aperta mala pro occultis bonis commutare dignaretur.

Nupcie sive coronacio ad XXX diem Iulii, Rege vix consenciente, iterum translate sunt. Et interim Sua Maiestas hodie aut cras vult communicare, sed celata nihilominus egritudine, quam non periculosam esse dicit, et vult, ut omnes credant, cum tamen hesterna nocte bis defectionem animi et sui oblivionem passus sit. Sed id dissimulat et prorsus negare vellet, si posset. Credo, quod existimat dedecus et indignum esse, ut Reges male valeant, multo magis, si moriantur.

Item Succamerarius Regiae Maiestatis, Mnysssek<sup>1)</sup> ille Moravus, heri mortuus est. Auferat Deus, ne sit precursor etc. Hec ego, pro mea fide erga Vestram Celsitudinem, pro secretis scripsi, ut Vestra Illustrissima Celsitudo ad omnem fortunam sese paret et consilia sua ad rationem horum temporum componat, que in rerum confusione et hominum perturbacione emineant et eluescant. Ad nihil enim aliud vestra Principum fastigia sunt introducta, quam ut Rerumpublicarum curam et salutem (eciam quocunque suo discrimine) querant et promoveant, etc.

Item Dux Legnicensis Fridericus heri huc venit, ut rerum suarum miserum statum pro meliori permutaret. Sed neque ipse aptus est, nec nobis vaccat, aut eciam libet, ut melius habeat quam meretur, si non resipiscit. Valeat Vestra Illustrissima Dominacio cum suis omnibus quam fortunatissime mihi propicia. Craccovie, 22 Iunii, 1553.

Stanislaus Bojanowski.

z) sic in ms.

1) Nicolaus.

N. 1396.

Cracoviae, 25.VI.1553.

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,  
Alberto in Prussia duci  
nuntiat de meliori statu valetudinis regis et de nuptiis 30 Iulii certo  
celebrandis.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.383.

Illustrissime Princeps etc.

Quoniam Illustrissimam Vestram Celsitudinem non mediocriter vale-  
tudine Sacrae Regiae Maiestatis perturbatam esse ex literis illius semper  
intelligebam, gaudeo iam nunc ista cura et sollicitudine liberam fore.  
Cum enim hesternam diem, tanquam suspectam ob recurrentis paroxismi  
vicem, metuissemus, ostendit sese praeter expectationem clementia divi-  
na, quae et eius Maiestatem periculo et nos omnes metu ita liberavit,  
ut Regia Maiestas totam diem non modo febri vacuam, sed etiam hilari-  
orem quodammodo cum accendentis melioris valetudinis sensu traduxer-  
it. Quod Illustrissimam Vestram Celsitudinem scire quam primum opor-  
tere putavi, ut communi nobiscum laeticia perfueretur et nuptias certo  
ad XXX diem Iulii celebratum iri non ignoraret atque profectionem suam  
ad id tempus acommodare posset... Datum Cracoviae, XXV die Iunii,  
anno Domini MDLIII.

a) *Vestre Illustrissime Celsitudinis  
servitor addictissimus*  
*Ioannes Ocieski.<sup>b)</sup>*

a)-b) *manu propria.*

N. 1397.

Halicz, 14.VII.1553.

*Nicolaus Sieniawski, palatinus Belzensis, capitaneus campestris,  
Alberto in Prussia duci  
ob pericula finibus Regni imminentia ipse Cracoviam ad nuptias regis  
se conferre nequius, filios illuc mittit et per eos ducem salutat;  
significat periculum, ex deserta a principibus christianis Valachia  
Regno et toti Christianitati profecturum.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.383.

Illustrissime Princeps etc.

Magno iam olim teneor desiderio videndi Tuam Illustrissimam Celsi-  
tudinem, Princeps Inclyte, ac mea officia coram deferendi et commen-  
dandi. Sed hactenus voti mei compos fieri nequivi. His autem elapsis  
diebus statueram proficiisci Cracoviam ad nuptias, dupli potissimum  
nomine. Primo, ad exhibendum honorem debitum Sacrae Regiae Maiestati,  
Domino meo clementissimo, deinde ad contrahendam cum Tua Celsitu-  
dine tot annis magnopere optatam noticiam et commendanda mea et  
meorum officia et obsequia. Nam nihil dubitabam Tuam Celsitudinem

affuturam ad solennitatem regiarum nuptiarum. Sed considerans varia pericula, spectantia ad Rempublicam Regni, quae quidem in finibus versantibus et excubantibus nunquam non sunt expectanda, decretum meum mutare coactus sum ac hic remansi. Filios autem meos iuvenes illuc misi, iniungens eis, ut Tuae Celsitudini mea promptissima officia et semper parata obsequia deferrent ac me Tuae Illustri Celsitudini commendarent, tanquam servitorem spontaneum et addictissimum ac ad omnia officia praestanda paratissimum.

Etsi autem non conceditur mihi illa toties optata et sperata foelicitas, ut liceat frui conspectu Tuae Celsitudinis, tamen cum filii mei Tuam Celsitudinem, Deo volente, incoludem et florentem conspicient ac gratulabuntur meo nomine divinitus donatam Tuae Celsitudini foelicitatem, quod videlicet tam diu optatum et desyderatum heredem, Deo autore, successorem habeas, contentus ero nunc officio per meos praestito, ac meorum foelicitatem non tam eorum, quam meam esse, paterno iure reputabo.

Novarum rerum, quas praeterire putarem Tuam Celsitudinem, nihil habeo, tantum haec imminentia pericula toti Regno, immo toti Christianismo, cuperem Tuae Celsitudini curae esse. Quae autem mala impendant nobis a Turcis et Tartaris, ut alios hostes praeteream, Tua Celsitudo, ut sapientissimus Princeps, etiam me tacente optime intelligit. Porro si Valachia deseretur, quae alioqui peculiari Dei dono, sine sanguine, in manus Regiae Maiestatis ultro venit et eius dominio se subiecit, et tuteiae eiusdem se commendavit cum ingenti fiducia de defensione concepta, quid aliud erit expectandum, quam nos hic brevi habituros non tantum Turcas, atroces hostes, sed et illos ipsos, qui nunc defensores primum propriae patriae contra immanitatem Turcicam, deinde et nostri defensores esse magno animo cupiunt. Si itaque ii debito praesidio et auxilio nostro destituentur, quis dubitat eos, dolore et desperatione instigante et irritante, tot futuros esse hostes, et quidem non contemnendos, sed acerrimos hostes, quot nunc cupiunt esse propugnatores et defensores. Sed haec omnia Tua Illustris Celsitudo pro sapientia sua melius intelligit, quam ego explicare brevibus verbis queam, praesertim cum perspectum habeat Valachiam talem esse provinciam, quae fortium strenuissimorumque bellatorum nutrix sit eximia, qui infracto animo cum Turcis congregati olim soliti sunt et saepe gloriosas victorias reportarunt. Et nunc nihil ardentius cupiunt, quam Turcas premere et vires illorum labefactari, si modo iustum sublevationem et debitum auxilium christianorum Principum sentirent et viderent.

Nihil hic commemorabo de periculis futuris a domesticis nostris, qui nuper hinc aufugerunt et ad hostes nostros se contulerunt. Illi profecto, ut video, viribus et consilio valentes, in re militari exercitissimi gnarique omnium tam locorum, quam consiliorum nostrorum, plus damni inferre poterunt, si Deus non cohibebit eos, quam ullus extraneus hostis. Quare Tua Celsitudo dignabitur haec omnia perpendere et salutare consilium nostro clementissimo Principi Regi Poloniae suppeditare, quo pacto omnibus malis iam iam imminentibus mederi et hoc Regnum incolume et illesum, Deo graciā suam largiente, servare possit... Date in Halicz, 14 Iulii, anno Domini 1553.

Tuae Celsitudinis addictissimus servitor  
Nicolaus Siniaviensis a Siniava, Palatinus Belzensis,  
Haliciensis et Colomiensis Capitaneus,  
Exercituum Regni Campestris.

Cracoviae, 21.VII.1553.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
varia nova scribit, inter alia de regis meliore valetudine et de futuris  
eiusdem nuptiis [cum Catharina Austriaca], de ducis Wiśniowiecki  
fuga ad Turcas, item novitates ex Hungaria, ex Transilvania, ex  
Italia etc.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.383.*

Illustrissime Vestrae Celsitudini foeliciorem ad nos adventum hunc  
precor et cetera bona.

Illustrissime Princeps.

Postquam litteras postremas de periculosa valetudine Regiae Maiestatis ad Vestram Celsitudinem dedissem, fui hucusque diligentissime intentus, si aliquod magni momenti novum accidisset, ut id totum (cum suis circumstanciis) Vestrae Celsitudini quam velocissime significarem. Interea, Dei benignitate, Regia Maiestas indies convalescebat atque iam ita valet, quod heri cum Oratore<sup>1)</sup> Episcopi Romani<sup>2)</sup> in publica missa summi templi fuerit. Quod autem Sua Maiestas publicis, et eciam privatis, torneamentis ad prescriptum diem 30 huius mensis apta esse possit, dubitatur adhuc: ita pallida et exhaustis viribus apparet.

Alia nova non videntur esse bona. Petrowycz enim ille, qui unicus ex charis Regis Ioannis circa filium<sup>3)</sup> eius constanter mansit, a Rege Romanorum defecit atque ex Cracovia, nemine salutato, in Transilvaniam, non ita pridem a se abdicatam, aufugit, ob minas quidem Regis illius magno serio, sed nescio, an satis caute vel prudenter, factas, tamen fortasse magis propter illas practicas, quas Regis Galliae<sup>4)</sup> Orator<sup>5)</sup> proxime preterito Augusto Gedani habuit. Cuius legacionem (secrete auditam) in Taplaken (si bene memini) Vestrae Celsitudini recensui. Post cuius fugam fama huc, sed incerto autore, heri allata est eum in Palatinum Transilvaniae electum esse. Quod quidem ille hactenus non visus est ambire, sed pocius filium Regis Ioannis reducere fortasse studebat, cum videret non solum Transilvaniae, sed omnium reliquorum Ungarorum animos in illum adolescentem defixos etc.

Item simile novum, pro nobis non melius, sparsum erat nuper, non ita pro certo, sed heri innovatum est: Ducem Wysznyewyeczki, ex Rutenica religione praecipuum Kozakum<sup>6)</sup> ex sanguine, ut aiunt, despoti, qui cum Rege Wladislao Hungarie et aliis christianis contra Turcas conspirasset, tandem inicio belli, data filia Amurati Turcarum Imperatori, prodidit<sup>a)</sup> christianos, maximo eorum malo exinde hucusque subsequoto. Scanderbegi enim Epirotarum Regis exercitum, clarissimo illo Duce bellicosissimum Turcisque sepissime exciosum, in manus Turcarum dedit, qui per suam dicionem Hungariano exercitui se coniungere volebat. Successu temporis posteri eius, despoti in Valachia et vicinis versus Greciam regionibus, rerum potiebantur, ex eoque nomen istius profugi apud illas naciones hactenus magni fit etc. Abduxisse secum aiunt supra 400 equites, usitatos et pacientissimos omnium discriminum bellicorum milites. Transfugisse autem illum dicunt, quod non pro merito suo tractaretur et quod mala racio sui habita. Verentur multi, ne nobis fuga illius multum noceat. Peritissimus est enim vastitatum campestrium,

homo audax et cordatus, ad tractandos animos militum aptus etc. Perpendit probe Sua Regia Maiestas hoc malum et dolet. Non desunt tamen multi, qui factum extenuent. Quam plurimos, inquiunt, habet Vestra Maiestas tales? et multos excellenciores. Utinam!

Ex Germania scribitur Mauricium Electorem contra Marchionem Albertum exercitum eduxisse possessionesque eius occupasse, Marchionem metu illius illis locis cessisse versus Lünenburgum, ubi cum 25000 peditum et 5000 equitum, qui pro Cesare sunt, convenire debet. Expectantur ibidem 2000 peditum et 500 equites a Regina Maria. Fama est, quod exercitus ille novam electionem Philippo Caroli in Caesarem vel Regem Romanorum moliatur. Quod Dux Mauricius, in graciam Ferdinandi Regis, prohibere intendit. Sed videntur esse vana hec scripta, nisi forte alio tales exercitus respiciant. Nam Cesar habet quod agat cum Gallis, diciturque Torruana<sup>7)</sup> vi cepisse atque multos ex primis Gallie nobilibus captivasse, inter quos et filius Anne de Mumerance, Comitis Stabilis et Magni Magistri Gallie,<sup>8)</sup> esse dicuntur. Nescio, cui credam. Hec a Vienna veniunt.

Ex Italia classis Caesaris et omnium sequacium ex toto mari in portus secesserunt, quia Turcica et Gallica, duce Principe de Salerno,<sup>9)</sup> potentior venit, et exinde maximus metus incutitur locis caesarianis. Item unam partem militum, qui Senam oppugnabant, Neapolim abduc tam, b)<sup>10)</sup> quia iterum commotum est Regnum, mortuo Vicerege,<sup>10)</sup> in cuius locum Cardinalis Pacceco,<sup>11)</sup> Hispanus, missus est, c) aliam secessisse in vastacionem frugum Senensem, etsi opus sit, ut Duci Florencie<sup>12)</sup> adsit, cui Gallicus exercitus et exules Florentini suspecti sunt. Item Capitanus Albertinus<sup>13)</sup> Gallicus, cum 40 equitibus tantum, accepit 70 mulos, peccunia onustos, in castra Caesaris tendentes. Ein gutt frue sztuk, si verum est.

Item 14 nobiles Senenses capti supilio afficiendi, qui Senam produti erant Cesari, inter quos sunt 3 de familia Cardinalis Salviati.<sup>14)</sup>

Item Cesariani acceperunt possessiones dotis Ducis de Salerno, que cum duabus ancillis monasterium ingressa frugaliter vivit, rerum exitum expectans.

Item Maximilianus Ferdinandi, qui nunc non venturus, nunc venturus dicebatur, pro certo veniet, et cum fratre Ferdinando. In nova domo arcis habebit hospicium. Regina Hungariae cum filio et Regina Bona cum filiabus in eadem domo. Ferdinandus ex opposito valvarum templi, ubi Regina Hedvigis educata fuit. Iste non satis commode habebit. Dux Legnicensis Georgius et Episcopus Wratislaviensis<sup>15)</sup> eciam veniunt.

Valeat Vestra Illustrissima Celsitudo mihi propicia, sibi devoto. Die dominico in Mechow cogito Vestram Celsitudinem salutare, si tantum temporis in presenti tumultu dabitur, proptereaque non promitto. Cracovie, 21 Iulii, 1553.

Stanislaus Boianowski.

a) *error pro: prodidisse*

7) *Thérouanue.*

b)-c) *in margine.*

8) *Henricus, filius Anne de Montmorency.*

d) *super lineam.*

9) *Ferdinandus San Severino.*

1) *Marcus Antonius Maffei.*

10) *Petrus de Toledo, marchio a Villafranca.*

2) *Iulius III.*

11) *Petrus Pacheco.*

3) *Ioannes Sigismundus.*

12) *Cosmus I.*

4) *Hencirus II.*

13) ?

5) *de la Vigne.*

14) *Ioannes Salviati.*

6) *Demetrius.*

15) *Balthasar de Promnitz.*

Cracoviae, 22.VII.1553.

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,  
Alberto in Prussia duci  
de atroci proelio inter ducem Mauritium et marchionem Albertum com-  
misso et de morte ducis Mauritii.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.383.*

**Illustrissime Princeps.**

Magnas mutaciones magnos Principes scire in primis oportet. Quare differre nolui atque eundem meum puerum eadem hora, qua mihi litteras Vestrae Celsitudinis attulit, remitto significoque, quod ex preludio illo, de quo heri scripsi, calamitosus epilogus est subsequutus. Die 9 huius mensis commisit prelum atrocissimum Dux Mauricius cum Marchione Alberto, auff der Lünenburgiss heide, in quo scribitur, si credibile est, 30000 hominum caesa et prostrata esse. Campiductores fere omnes Marchionis vivi capti, ipse cum uno pueru fuga salvus.

Ex parte Mauricii Electoris duo Duces Brunszwicenses et duo Lünenburgenses<sup>1)</sup> (quamquam hoc idem esse videtur) occisi. Qui Lypsiam vehuntur, cras sepieliendi, et quod maius est, una cum Mauricio. Qui in scaramucza<sup>a)</sup> ictu sclopeta, triduo ante prelum et victoriam, in pedem vulneratus, triduo tantum vixit et, ut dicunt, ob negligenciam mortuus est. Hec pro certissimo scribuntur atque constanter affirmantur. Et ego vereor, ne maior pars sit vera, nam mala nova non facile mutantur, quamquam historie finis non coeret cum moderna practica. Scribunt enim: mox mox, in ipsa fuga, Marchionem Albertum in quodam oppido,<sup>2)</sup> 3 miliaribus a Wolffenbeutel, ab Henrico Duce Brunszwicensi obsidione cinctum esse, parvamque defensionis spem, auxiliu nullam restare. Cum tamen Henricus perpetuo Cesarianus sit, et Caesaris omnia consilia eo respiciebant, ut Mauricius (nullo suo negocio) periret, nempe ut canes inter se mutuo interficerentur et lupus postea liberius rapinas exerceret. Si tamen verum est duos filios Henrici<sup>3)</sup> imperfectos, credibile est et hoc de obsidione. Si igitur omnia vera hec sunt, lapides muti, ne dicam malae bestiae, sumus, qui tanta pericula contemnimus. Si Carolus Solimanno periculosior, et si in uno Mauricio plus spei restabat contra Carolum, quam in reliquis omnibus Imperii Principibus, ut nunc habet Germania, Ioannes Fridericus videtur denuo triumphaturus. Valeat interim, dum venio, si possum, Vestra Celsitudo. Cracovie, 22 Iulii, 1553.

Stanislaus Bojanowski.

a) scaramucza (scaramuccia) in margine pro expuncto in textu: conflictu

2) Sievershausen.

3) v. notam 1.

1) Carolus Victor et Philippus Magnus, filii Henrici ducis Brunszwicensis-Luneburgensis.

N. 1400.

Iaroslaviae, 29.VII.1553.

*Anna de ducibus Masoviae Odrowążowa, palatina terrarum Russiae,  
Alberto in Prussia duci  
rogat, ut dux coram rege profiteri velit de persolutione, a se facta, debiti,  
a defuncto marito suo apud ducem contracti.  
(Polonice. Adest versio latina)*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.383.

N. 1401.

Cracoviae, 19.VIII.1553.

*Nicolaus Tarlo, vexillifer Premisliensis,  
Alberto in Prussia duci  
de promisso iuramento a rege et senatoribus palatino Valachiae praestito;  
de regis primum in Niepolomice et Cracoviam, deinde per Varsaviam in Lithuaniam profectione.*

*Sigill.*

H B A, B 2, K.383.

**Illusterrissime Princeps etc.**

Etsi usque huc in aula Serenissimi Principis mei nihil adeo singulare fuerit, quod Illustrissime Dominationi Vestre scribendum putarem, tamen pro officio meo fore putavi, ut, nactus tabellionem, aliquid Illustrissime Dominationi Vestre scriberem et me ac mea humillima servicia illius Celsitudini obnixe comendarem. Hodie Regia Maiestas iuramentum prestitit Palatino Valachie,<sup>1)</sup> et omnes, qui aderant Senatores, iurarunt in eadem verba, quod illam patriam non sunt ad extrema vite pericula deserturi, et quod iam pro membro Regni illa provincia commemorari debeat. Discedet hodie Maiestas Sua una cum Reginali Maiestate ad Nyepolomice, 14 diebus eo commoratura utraque, 14 dies Cracovie, postea prefectura Maiestas Sua per Varszoviam in Lithuaniam in Kniszin, ex Kniszin in Slonim, deinde in Lachowice, et id venacionis causa, nam istic sunt pulcherime venaciones... Cracovie, 19 Augusti, 1553.

Eiusdem Illustrissime Dominationis Vestre  
addictissimus servitor  
Nicolaus Tarlo a Szekarzovice, Vexilifer  
Premisliensis etc.

1) recte Palatino Moldaviae, i.e. Alexandro Lapušneanu

Londini, 19.VIII.1553.

*Ioannes Laski*

*Alberto in Prussia duci*

*de immatura morte Eduardi VI regis Angliae dolet; eruditionem Osiandri laudat, sed doctrinam eius de iustificatione confutat; suam doctrinam de iustificatione exponit.*

*Sigill.*

*Iam ed. Kuyper, pp. 678-80.*

*H B A, B 2, K.383.*

*Illustrissime Princeps etc.*

